runt Deo : recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. *Et cum hoc ſit in poteſtate lib. arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immerito ad culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni: Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare.* Quod repetit *cap. 165.*

XXX. Ad Confirm. reſpondet S. Auguſt. lib. de Gratia & lib. arbit. cap. 16. *Certum eſt, nos mandata ſervare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt, nos velle, cum volumus; ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulo ante poſuit:* Præparatur voluntas a Domino: *de quo dictum eſt:* A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet: *de quo dictum eſt:* Deus eſt, qui operatur in vobis velle, & perficere. *Certum eſt, nos facere, cum facimus; ſed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit Ezechiel. 36.* Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis... *Ille facit, ut faciamus, cui dicit homo:* Pone Domine cuſtodiam ori meo. *Hoc eſt enim dicere: fac, ut ponam cuſtodiam ori meo; quod beneficium Dei jam fuerat conſecutus, qui dixit:* Poſui ori meo cuſtodiam.

§. III.

Qualis Gratia requiratur ad Obſervantiam totius Legis Naturalis.

XXXI. DIco primo. Ad obſervantiam totius legis naturalis neceſſaria eſt in homine lapſo gratia ſanans, ſeu ſanctificans; non quidem per ſe, & ratione objecti, ſed ratione ſubjecti, & ſtatus corruptionis. Hæc poſterior pars aſſerti exponenda eſt, ut ſupra diximus *Dubio præcedente §. 4.* Nam obſervantia totius legis naturalis, eſt de objecto naturali; ergo per ſe non requirit, niſi principium naturale.

Prior vero pars ex præcedent. Dubio conſtat. Nam ſub lege naturæ comprehenditur tamquam maximum, & primum, præceptum diligendi Deum auctorem naturæ ſuper omnia: ſed, ut vidimus, non poteſt ab homine lapſo diligi Deus auctor naturæ ſuper omnia ſine gratia habituali: ergo &c.

Colligitur ex Concilio Milevitano, tum *Can. 3.* ubi definit, gratiam, qua juſtificamur, non ſolum valere ad remiſſionem peccatorum, quæ commiſſa ſunt; ſed eſſe adjutorium ad non peccandum. Tum *Can. 5.* ubi anathemate ferit eum, qui dixerit gratiam juſtificationis ideo nobis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius implere poſſimus per gratiam; tamqum, etſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſemus etiam implere divina mandata: atqui gratia juſtificationis, qua remittuntur peccata, eſt gratia ſanctificans, ſeu habitualis; ergo hæc de facto eſt neceſſaria.

Idem colligitur ex Tridentino *Seſſ. 6. cap. 11.* dicente: *Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt, qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus:* Atqui filii Dei, qui diligunt Chriſtum, ſunt qui habent gratiam habitualem, qua conſtituuntur filii Dei; ergo qui habent eam, ii ſunt, qui ſervant mandata Chriſti.

Id eſt doctrina S. Auguſtini, *Tract. 82. in Joann.* ubi ad illa verba, Joann. 15. *Si præcepta ſervaveritis, manebitis in dilectione mea,* quærit: *Dilectio facit præcepta ſervare, an præcepta ſervata faciunt dilectionem?* Cui quæſito reſpondet ſic: *Sed quis ambigat, quod dilectio præcedit: unde enim præcepta ſervet, non habet, qui non diligit.* Quibus verbis loquitur Auguſtinus de dilectione, quæ per fidem operatur, quæ procul dubio eſt ſupernaturalis, & proprietas gratiæ habitualis. Unde paulo poſt ſubjungit: *Quid eſt ergo: manete in dilectione mea, niſi manete in gratia mea?*

XXXII. Ratione quoque indicat S. Thom. hac *qu. 109 art. 8.* Nam hominem poſſe omnia præcepta naturalia ſervare, etiam quoad ſubſtantiam, eſt poſſe omnia peccata mortalia vitare: ſed homo, niſi ſit in gratia, nequit ſaltem diu omnia peccata mortalia vitare; ergo &c. Major patet. Minor probatur. Ut homo poſſit diu omnia peccata mortalia vitare, oportet, ut ſic adhæreat Deo ultimo fini; ut pro nullo bono acquirendo, vel malo vitando, ab illo ſeparari velit: ſed qui eſt in peccato mortali, non ſic adhæret Deo, imo eſt a Deo averſus; ergo &c. Major prob. Si enim homo non ſic firmiter adhæreat Deo, ſi non timeat ab illo ſeparari, cum multa occurrant delectabilia allicientia, propter quæ conſequenda neceſſe ſit, ejus præcepta contemnere, ut illis fruatur, ſtatim Deum derelinquet. Sicque impoſſibile erit, quod averſus habitualiter a Deo, diu operetur conformiter ad Deum, quod requireretur, ut poſſet totam legem ſervare.

XXXIII. Confirmatur. Homo inclinatur ad operandum juxta præconceptum finem; ergo converſus per peccatum ad creaturam inclinatus eſt ad operandum juxta illam; ergo licet aliquando poſſit operari, & non juxta illam, & ſic non peccare; impoſſibile tamen eſt, ſaltem via ordinaria, ut diu operetur, & nunquam juxta talem finem, ſed ſemper juxta finem oppoſitum, & conſequenter, quod ſervando omnia præcepta diu vitet peccatum. Hinc *Pſal. 34. ver. 6.* via peccatorum dicitur *tenebræ, & lubricum.* Sicut ergo qui per lubrica in tenebris incedit, facile ruet ſi non avertantur tenebræ: ita homo, qui per lubrica delectabilium graditur, niſi tenebræ peccati per gratiæ lumen diſſipentur, facile ruet in peccatum. Et *Sicut fracto gubernaculo navis, non quo vult vadit, ſed quo tempeſtas impellit: ita homo gratia Dei deſtitutus in præcipitia peccatorum defertur.* Similitudo Chryſoſtomi eſt.

XXXIV. Urgetur etiam magis. Nam impoſſibile eſt, eſſe bene ordinatum circa media, qualia ſunt præcepta, & non eſſe bene ordinatum circa Deum, qui eſt ultimus finis eorum; quia media eliguntur propter finem, & ex amore efficaci finis: atqui ſine gratia ſanctificante nullus eſt bene ordinatus circa Deum ultimum finem; ergo &c. Optime igitur S. Auguſtinus *lib. de Spiritu & litt. cap. 26.* docet, juſtificationem debere præcedere, ut homines totam legem obſervent: *Sic* (inquit) *intelligendum eſt; factores legis juſtificabuntur, ut ſciamus, eos aliter non eſſe factores legis, niſi juſtificentur: ut non juſtificatio factoribus accedat, ſed ut factores juſtificatio præcedat.* Et *lib. de Catechizandis Rudibus cap. ultim.* de Dei lege ſcribit: *Quam non implet, niſi qui Dominum acceperit Spiritum Sanctum, Patri, & Filio utique æqualem.* Accipitur autem Spiritus Sanctus per gratiam habitualem, quando infunditur charitas.

XXXV. Dico ſecundo. In homine lapſo ad totius legis naturalis obſervantiam, præter gratiam habitualem, neceſſaria eſt ſpecialis gratia auxilians: quæ ratione ſubjecti aliquando debet eſſe ſupernaturalis, aliquando poteſt eſſe naturalis ordinis. Prior pars probatur. Nam impotentia moralis, quæ eſt in homine lapſo, & in peccato mortali exiſtente: ad implendam totam legem naturæ, non ſolum oritur ex rebellione mentis a Deo, ſed etiam ex rebellione, & pugna appetitus inferioris contra rationem; at licet gratia habitualis mentem ſubjiciat Deo ultimo fini, rebellionem tamen appetitus contra rationem non tollit, ſed eam relinquit ad agonem, & meritum, ut docet Tridentinum *Seſſ. 5. de Peccat. origin.* & experientia ſatis oſtendit; ergo, præter gratiam habitualem, requiritur ſpecialis gratia auxilians, qua tali rebellioni homo poſſit reſiſtere, impedimenta occurrentia ſupperare, & ſic totam legem ſervare.

XXXVI. Quod vero auxilium hoc ſit ſpecialis gratia, probatur. Nam ſemper determinari ad bonum, & nunquam permitti peccatum tranſgreſſivum legis naturæ; dare vim ad ſuperandas graves tentationes, & plures mediocres, & leves, ſpecialis gratia eſt homini infirmo, & lapſo: ſed hoc totum importat obſervantia totius legis naturæ; ergo &c.

Hoc ſpeciale auxilium Apoſtolis ſuis, jam juſtis, & mundis, a Patre exorabat Chriſtus, Joann. 17. ver. 11. *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo.* Hoc fatentur Patres Arauſicani II. Can. 10. *Adjutorium Dei renatis, & ſanctius eſt ſemper implorandum; ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Hoc fatetur Innocentius I. in reſcripto ad Concilium Carthaginenſe dicens: *Adjutorio quotidiano nos egere, negare non poſſumus: hoc enim, ſeu bene vivimus, precamur, ut melius, ſanctiuſque vivamus; ſeu prave ſentientes a bonis avertimur, ut ad certam redeamus viam, ejus auxilio plus egemus.* Hoc idem S. Auguſtin. paſſim inculcat, & præſertim *lib. de Natura, & gratia cap. 26.* ubi hac ſimilitudine utens: *Sicut enim* (inquit) *oculus corporeus, etiam pleniſſime ſanatus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſime juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere, ſanat ergo Deus non ſolum, ut deleat quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam, ne peccemus.*

XXXVII. Secunda pars, quod nimirum auxilium hoc, ratione ſubjecti, interdum ſit ſupernaturale, probatur. Nam Deus ſæpe non dat adimpletionem legis, niſi ipſum ſuper omnia diligenti, ut dictum eſt; neque illud confert, niſi Fidelibus fide orantibus, & petentibus: ſed ad hæc requiritur auxilium ſupernaturalis ordinis, ut patet etiam ex præcedente dubio; ergo &c.

XXXVIII. Tertia vero pars, quod tale auxilium poſſit interdum eſſe naturalis ordinis prob. Quod auxilium ad obſervantiam totius legis naturalis ſit ſupernaturale, non requiritur per ſe, & ex natura actus, vel objecti; ſed ratione ſubjecti, quod non poteſt legem implere, niſi ſit in gratia, & charitate, vel quia ex motivo ſupernaturali eam implet: ſed nihil prohibet, quod homo, jam exiſtens in gratia, ex motivo naturalis honeſtatis procedat ad totam legem implendam; ergo &c. Minor probatur. Habens gratiam, & charitatem non tenetur ſemper in exercitio uti, & ex eorum motivo procedere, quia habitibus utimur, cum volumus; ergo poteſt præcepta naturalia obſervare ex motivo naturali, & proinde ex ſolo auxilio ſpeciali naturalis ordinis, cum nulla in hoc ſit repugnantia: ad eum modum, quo ſupra diximus, hominem exiſtentem in gratia, & charitate poſſe non uti charitate, & diligere Deum, ut auctorem naturæ, ſuper omnia, cum ſolo auxilio ſpeciali intra ordinem naturæ.

XXXIX. Sed contra primam aſſertionem dices primo. Homo in ſtatu peccati mortalis obligatur ad ſervanda omnia præcepta legis naturalis; ergo ea obſervare poteſt; ſed huic deeſt gratia habitualis; ergo ſine illa poteſt ea obſervare, quia obligatio ſupponit poſſe.

Reſpondeo ad minor. ſubſumptam, quod homo in peccato mortali exiſtens, etſi non habeat gratiam juſtificantem; habet tamen a Deo auxilia, quibus vel poteſt diſponi ad gratiam, vel ſaltem poteſt petere auxilia ad illam diſponentia: hæc enim omnibus a Deo concedi, oſtendimus *Tom. 1. in 1. par. Qu. 2. de Volunt. Dei Dub. 3.* Quod ſi noluerit petere, ſua culpa erit, quod ſit privatus gratia habituali ad obſervantiam omnium mandatorum requiſita, & ei imputabitur, ſi non obſervat: Sed de hoc ſtatim dicemus.

XL. Dices ſecundo. Cum ſola gratia auxiliante poteſt homo lapſus omnia præcepta ſervare; ergo ſuperflua eſt gratia ſanctificans. Ant. probat. primo. Si Deus, quoties inſtat præceptum, conferat homini auxilium gratiæ, homo ſemper poterit

terit illud ſervare —— Secundo. Gratia habitualis datur præciſe ad hominem ſanctificandum, non ad operandum; ſed ad hoc datur gratia auxilians —— Tertio. Homo in ſtatu naturæ puræ ad ſervandam legem non eguiſſet gratia habituali, ſed ſolo auxilio ſpeciali; ergo neque in ſtatu naturæ lapſæ.

XLI. Reſpondeo, diſt. ant. Attenta natura rei, conc. antec. attenta præſenti Providentia, nego antec. Fateor, poſſe Deum abſolute, & attenta natura rei, hominem conſervare per longum tempus, vel etiam per totam vitam in obſervatione omnium mandatorum legis naturæ, quantum ad ſubſtantiam, cum ſolo auxilio actuali, ſine gratia juſtificante: juxta tamen præſentem legem, & providentiam neceſſaria eſt gratia juſtificans. Ut enim ex Scriptura, & Patribus vidimus, decrevit Deus, quod homines redempti, a peccato prius mundarentur; ut eum diligerent, & ex amore ad ipſum præcepta ejus tam naturalia, quam ſupernaturalia ſervarent: ut ſic legis obſervantia, utpote ex amore procedens, eſſet jugum ſuave, & pondus leve. Cujus divinæ diſpoſitionis ipſa experientia teſtis eſt: nemo enim uſque modo fuit, qui in peccato, & ſine gratia exiſtens, totam ejus legem, ac mandata cuſtodierit; ut impleatur illud Joann. 14. ver. 24. *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.*

Ad ſecundam probat. diſt. ant. Non ad operandum directe, conc. ant., indirecte, velut removens prohibens, nego ant. Eſto igitur gratia juſtificans non requiratur (ſicut auxilians requiritur) ad operandum directe, & per ſe; requiritur tamen, tamquam removens peccatum prohibens dilectionem, a qua in præſenti providentia debet incipere obſervantia legis, & per quam voluntas redditur firma ad operandum ſecundum legem.

Ad tertiam nego conſeq. Nam impotentia ad obſervandam totam legem in ſtatu puræ naturæ, vel ſolum proveniret ex pugna appetitus contra rationem: vel ſi etiam ei competeret ex averſione mentis a Deo, non tamen, a Deo auctore ſupernaturali, ſed tantum naturali. At in iſto ſtatu provenit etiam ex averſione a Deo auctore ſupernaturali: & quia hæc averſio in hac providentia auferri non poteſt niſi per gratiam juſtificantem, qua tollatur peccatum; ideo in hoc ſtatu gratia juſtificans prærequiritur.

§. IV.

Quid dicendum de Statu Naturæ Integræ?

XLII. DIco. Homo in ſtatu naturæ integræ potuiſſet implere totam legem naturæ abſque ſpeciali gratia dante expeditionem virtutis. Facile hoc probatur. homo enim in illo ſtatu erat rectus, ratio ſubdita Deo auctori naturæ, & appetitus perfecte ſubjectus rationi; ergo in illo ſtatu ex parte actus primi habebat expeditionem ad implendam totam legem, & diu non peccandum. Conſeq. probat. Tota enim ratio, quare homo lapſus ſit impotens, & inexpeditus in actu primo ad impletionem totius legis, eſt deordinatio a Deo ex peccato, & rebellio appetitus.

XLIII. Si dicas primo. Potuiſſe tunc hominem affligi gravioribus tentationibus, præſertim ſuperbiæ, ratione excellentiæ illius ſtatus, quam nunc patiatur ex rebellione appetitus; ergo tunc eguiſſet auxilio gratiæ ad eas vincendas.

Secundo. De facto Adamus in ſtatu innocentiæ tranſgreſſus fuit præceptum de non comedendo fructu vetito, quod erat præceptum naturale; ergo ſignum eſt, eum indiguiſſe gratia ſpeciali ad illud implendum.

XLIV. Reſpondeo ad primum, neg. antec. Excellentia enim ſtatus non arguit majores tentationes: quia in tali ſtatu habuiſſet perfectius lumen, promptiorem voluntatem ad ſe ſubjiciendum Deo. Sed adhuc dato, quod in illo ſtatu ſubditus fuiſſet tentationibus, diſt. conſeq. Eguiſſet auxilio gratiæ dante efficaciam, & actum, conc. conſ. dante expoſitionem virtutis, nego conſeq. Eguiſſet igitur gratia, non dante expeditionem virtutis, hanc enim habebat ratione ſtatus: ſed dante efficaciam ad actum, non ut poſſet agere, ſed qua de facto ageret, quod Auguſtinus vocat adjutorium *quo*.

Ita reſpondeo ad ſecundum. Adamus enim tranſgreſſus fuit præceptum, non ex defectu gratiæ dantis expeditionem virtutis, ſed gratiæ dantis efficaciam ad actum, ſeu adjutorii *quo*. Quod ſolum evincit, hominem etſi ad agendum expeditum, egere ulteriori dono Dei ad de facto bene agendum. Vid. Auguſtin. *lib. de Corrept. & grat. cap. 12.*

XLV. Quod ſi quæras: an gratia, quæ defuit Adamo, fuerit gratia ſpecialis? —— Reſpondeo, fuiſſe gratiam ſpecialem, & indebitam. Verum dato, quod non foret ſpecialis, & eam potuiſſet Deus conferre Adamo ex generali providentia: tamen ad diu bene operandum, ſi in integritate perſeveraſſet, & per longum tempus ſervanda præcepta naturalia, quæ ipſe, ejuſque poſteri tranſgredi poterant (non enim fuiſſent in gratia confirmati, ut vidimus *Tom. 1. in 1. par. qu. 3. Dub. 5. §. 2.*) indiguiſſent ſpeciali auxilio; non quidem dante expeditionem, ſed dante actualem obſervantiam præceptorum. Et ratio eſt: quia indifferenti aliqualiter ad bonum, & ad malum, ſeu expedito ad utrumque, non debetur ſemper applicatio ad bonum; ſed ipſi connaturale eſt, aliquando applicari ad bonum, & aliquando permitti malum.

XLVI. Ex his diſcere poteris, diverſimode hominem lapſum egere gratia ſpeciali ad obſervantiam mandatorum, ac eguiſſet homo in ſtatu integritatis ad diu bene operandum. In ſtatu enim lapſus, præter gratiam Dei moventis, & dantis actum, eget gratia dante expeditionem virium, & ſanante: ita ut homo lapſus ex propriis viribus ſit inexpeditus, & impotens impotentia etiam antecedenti, vel phyſica, vel ſaltem morali. In ſtatu vero integritatis indiguiſſet ſolum aliquando, & non ſemper gratia ſpeciali; non quidem dante expeditionem, fuiſſet enim ſemper expeditus: ſed gratia ſolum Dei moventis, ſeu dantis actualem obſervantiam. Unde S. Thom. hac qu. 109. art. 3. *Homo* (inquit) *in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ ſuperadditæ naturalibus bonis, ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis: ſed in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam ſanantis.* Quod de obſervantia mandatorum repetit *art. 4.* ſequente.

§. V.

Quid dicendum de Præceptis Supernaturalibus ſive quoad Subſtantiam, ſive quoad Modum?

XLVII. DIco. Neque in ſtatu naturæ integræ potuit, neque in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo ſervare ullum præceptum ſupernaturale, quoad ſubſtantiam, ſine gratia ſupernaturalis ordinis; uti nec ullum naturale ſecundum modum, quod ad veram curam Deo juſtitiam, & ſpiritualem animæ ſalutem ordinatur.

Prior pars eſt de fide contra Pelagium. Et probatur. Quia præcepta ſupernaturalia, quoad ſubſtantiam, ſunt de objecto ſupernaturali, & nequeunt impleri, niſi per actus ſupernaturales: ſed actus entitative ſupernaturales, quia de objecto ſupernaturali, nequeunt elici a potentia, niſi auxilio ſupernaturali per ſe influente roboretur, quia potentia naturalis ſine auxilio ſupernaturali actus ſupernaturales non continet; ergo &c. Major. patet in præceptis fidei, ſpei, & charitatis, quorum objectum eſt Deus ut auctor ſupernaturalis: fidei quidem, ut prima veritas in dicendo, ſpei in ratione auxiliantis, & charitatis in ratione auxiliantis, ſummi boni in ſe.

XLVIII. Confirm. primo. Præceptum ſupernaturale credendi nequit impleri, niſi per actum fidei divinæ; alias hæreticus non habens fidem divinam poſſet implere præceptum fidei, quoad ſubſtantiam: ſed actus fidei divinæ, utpote ſupernaturalis, nequit haberi per vires naturæ, ergo &c.

Confirm. ſecundo. Præceptum credendi &c. obligat ad credendum &c. prout oportet ad ſalutem; quia tali præcepta dantur de mediis neceſſariis ad ſalutem: ſed hoc modo credere &c. non poteſt homo viribus propriis, niſi gratia adjuvetur; ut ſtatuunt Concilia Arauſicanum II. *Can. 15.* Tridentinum *Seſſ. 6. Can. 3.* ergo &c.

XLIX. Poſterior etiam pars, quæ non minus certa eſt, & ſi non immediate, mediate ſaltem ad fidem pertinens, traditur a D. Thom. *hoc art. 4.* ubi poſtquam dixit, præcepta naturalia impleri poſſe, quoad ſubſtantiam, & *quoad modum agendi, ut ſcilicet ex charitate fiant*; ſubjungit: *Et ſic neque in ſtatu naturæ integræ, neque in ſtatu naturæ corruptæ poteſt homo implere abſque gratia legis mandata. Unde Auguſtin. in lib. de Corrept. & grat. cap. 2. cum dixiſſet, quod ſine gratia nullum prorſus bonum homines faciunt, ſubdit;* Non ſolum, ut, monſtrante ipſa, quid faciendum ſit, ſciant; verum etiam, ut præſtante ipſa, faciant cum dilectione quod ſciunt.

L. In hoc ſenſu Patres Arauſicani *Can. 7.* interpretati ſunt illud Joann. 15. ver. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*: ideſt, nihil ad ſalutem pertinens. Et illud 2. Cor. 3. ver. 5. *Non quod ſufficientes ſimus, cogitare aliquod a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Nam modus operandi in ordine ad ſalutem, dirigendo opus per charitatem ad vitam æternam, excedit omnes vires creaturæ; quæ, niſi elevetur per gratiam, nec de ſalute æterna poteſt cogitare.

LI. Sed dices contra primam partem primo. Eſto præcepta ſupernaturalia, quæ dantur de actibus internis, non poſſit impleri ſine auxilio ſupernaturali, bene tamen præcepta, quæ dantur de actibus externis.

Nego tamen aſſumptum. Quia ſicut omiſſio actus interioris fidei, quando inſtat præceptum de tali actu, opponitur fidei theologicæ; ita & omiſſio exterioris confeſſionis: & ſicut credere, quæ fides docet, ita ea exterius confiteri, a fide eſt. Et rurſus: credere, ut eſt neceſſarium ad ſalutem, cadit ſub præcepto fidei; ita etiam confeſſio fidei, ut ore ſit ad ſalutem: ut enim ait Paulus, Rom. 10. ver. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Tam ergo ſupernaturale eſt præceptum de externa fidei confeſſione, quam de actu interno credendi, & utrumque ad ſalutem tendit, ergo utrumque, ut impleatur, requirit auxilium ſupernaturale, cum utrumque ad fidem divinam ſpectet.

LII. Dices ſecundo. Poteſt Gentilis, vel hæreticus non habens habitum fidei theologicæ credere, & exterius confiteri aliquod myſterium, & ſaltem quoad ſubſtantiam ſatisfacere præcepto, ergo &c. Ant. probatur. Præcepta naturalia, quæ dantur de actibus virtutum, adimpleri poſſunt, quoad ſubſtantiam, per actus ſive internos, ſive externos, quamvis non procedant ab habitu illius virtutis, neque ſecundum modum virtutis, poteſt enim quis non habens habitum miſericordiæ, aut juſtitiæ, largiri eleemoſynam, & reddere alteri quod ſuum eſt, & implere præceptum; ergo a pari poteſt quis &c.

LIII. Reſpondeo, diſt. ant. Non habens habitum fidei, habens tamen auxilium ſupernaturale &c. admitto ant. Non habens nec habitum fidei, nec auxilium ſupernaturale, nego ant. Neque oppoſitum ſuadent allata exempla. Imo ſicut actus miſericordiæ, & juſtitiæ factus ab eo, qui nondum habet habitum illarum virtutum, eſto non procedat a virtute miſericordiæ, & juſtitiæ, procedit tamen ab auxilio Dei ordinis naturalis: ita actus fidei, ut ſaltem natura antecedit habitum fidei, ut ſit impletivus præcepti, eſto non procedat ab habitu fidei, procedere tamen debet ab auxilio ſupernaturali Dei.

LIV. Sed inſtabis. Si quis inſtante præcepto fidei credat, ſed ex inani gloria, vere implet præceptum fidei: ſed actus ille, utpote vitioſus, nec procedit ab habitu fidei, neque ab auxilio ſupernaturali; ergo &c.

Confirmabis: homo in peccato mortali exiſtens poteſt ſuſcipere Baptiſmum, & facere Confeſſionem informem: & ſic, eſto non ſuſcipiat gratiam, implere præceptum Baptiſmi, & Confeſſionis, quantum ad ſubſtantiam, per vires naturales abſque auxilio ſupernaturali, quod ad tales actus, utpote peccaminoſos, dari non poteſt.

LV. Reſpondeo, diſt. major. Si inanis gloria ſit motivum adæquatum credendi, nego major., ſi ſit mere concomitans actum credendi, conc. maj. Aliquem ergo credere ex inani gloria, vel alio motivo humano, contingere poteſt dupliciter. Uno modo, ita ut adæquata ratio credendi ſit inanis gloria, non quia Deus dicit: & hoc modo non implet præceptum fidei. Alio modo, ut ratio, credendi ſit quidem, quia Deus dicit, & proinde ſupernaturalis, eam tamen circumſtantiam inanis gloriæ concomitetur: & in hoc caſu implet præceptum fidei per auxilium ſupernaturale datum ad actum fidei, non ad circumſtantiam inanis gloriæ illum vitiantem.

LVI. Ad Confirm. concedo, quod homo in peccato mortali exiſtens poteſt ſuſcipiendo Baptiſmum, vel faciendo Confeſſionem informem (ſi tamen ſit valida) implere præceptum de utroque: quia, eſto peccet, peccat quidem contra præceptum religionis, quo obligatur digne facere, quæ pertinent ad cultum Dei; non tamen contra præceptum ea Sacramenta ſuſcipiendi. At nego, quod ea præcepta impleat abſque auxilio ſupernaturali Dei. Sicut enim nequit homo velle Sacramenta conficere, niſi a Deo moveatur per auxilium ſupernaturale; ita nequit velle ea ſuſcipere, quia nequit ſuſcipere ſine intentione ea ſuſcipiendi: quæ certe ſupernaturalis eſt, & ab auxilio ſupernaturali eſſe debet —— Neque ſequitur, Deum auxilio ſuo concurrere ad peccatum indigne ſuſcipientis. Quia in ſuſceptione indigna Baptiſmi duo ſunt: & intentio ſuſcipiendi Baptiſmum, & implendi præceptum, & indigna ſumptio. Ad primam Deus auxilio ſuo concurrit; ad ſecundam ſola malitia ſumentis. Quemadmodum in actione Sacerdotis ſacrilege conſecrantis duo ſunt: & actio conſecrativa, & ſacrilegium. Deus ergo auxilio ſuo ſupernaturali concurrit ad actionem quatenus conſecrativam, non vero quatenus ſacrilegam. Nota tamen, præcepto Communionis annuæ non ſatisfieri per ſacrilegam Corporis Domini manducationem. Oppoſitum enim damnatum fuit ab Innoc. XI. *Propoſit.* 55. 2. Martii 1679.

§. VI.

Sintne aliqua Præcepta, quæ nec per Dei Gratiam impleri poſſint in hac Vita?

LVII. ESſe aliqua, contendunt hæretici Lutherus, Calvinus, & alii ejuſdem ſurfuris, quibus acceſſerunt Bajus, & Janſenius. Lutherum, & Calvinum damnavit Tridentinum *Seſſ. 6. Can.* 18. his verbis: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Bajum proſcripſit S. Pius V. cenſura notando ejus propoſitionem *nu.* 54. quæ talis erat: *Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit.* Janſenium vero Innocentius X. anno 1653. cujus primam hanc propoſitionem damnavit: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Conſimiles propoſitiones confixit in Queſnellio Clemens XI. Conſtit. *Unigenitus.*

LVIII. Dico ergo. Ad fidem pertinens eſt, nulla eſſe præcepta, quæ ab homine in hac vita non poſſint impleri per gratiam. Hanc veritatem ſtatuimus, tum *Tom.* 1. *in par. qu.* 2. *de Volunt. Dei Dub.* 3. §. 3. *a nu.* 14. & toto §. 7. Alia etiam diximus *Dub. præſenti nu.* 27. quo meum Candidatum remitto.

Prædictis tamen ad præſens addi poteſt, quod Chriſtus, *Matth.* 11. *ver.* 30. invitans omnes ad tollendum jugum ſuum, ait: *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Quomodo autem eſſet jugum ſuave, & onus leve, ſi aliqua imponeret præcepta, quæ non poſſent impleri ab iis, quibus dantur? Deinde: ſi Deus Ezech. 36. ver. 27. *Spiritum* (inquit) *meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini*: vel Deus in ſuis promiſſis non eſt fidelis, & verax, quod nefas eſt cogitare: vel per Dei gratiam omnia ejus præcepta poſſunt impleri. Hinc David *Pſal.* 118. *ver.* 32. generaliter dicit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Et v. 167. *Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer.* Et ver. 168. *Servavi mandata tua, & teſtimonia tua.*

LIX. Audiendus eſt S. Auguſt. *lib. de Natur. & gratia cap.* 69. dicens: *Eo ipſo, quo firmiſſime credimus, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus: omnia quippe fiunt facilia charitati, cui uni Chriſti ſarcina levis eſt, ut ea una eſt ſarcina ipſa, quæ levis eſt. Secundum hoc dictum eſt: Et præcepta ejus gravia non ſunt; ut cui gravia ſunt conſideret, non potuiſſe divinitus dici, gravia ſunt, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui gravia non ſunt, & petat, quo deſtituitur, ut impleat, quod jubetur.* Unde cap. 43. dixerat: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*: quæ ex Auguſtino deſumpſit Trident. *Seſſ. 6. cap.* 11. Addens: *Et adjuvat, ut poſſis.*

LX. Ratio autem eſt. Cum enim Deus puniat omnem voluntariam mandatorum ſuorum tranſgreſſionem; impium foret exiſtimare, Deum punire eum, qui mandata ejus non obſervavit, quia obſervare non potuit.

LXI. Quoniam vero Sectarii præcipuam difficultatem movent de duobus præceptis, nempe, iſto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, & iſto: *Non concupiſces.* De primo poſſe impleri per gratiam, oſtendimus præcedenti Dubio. De ſecundo alibi a nobis oſtenſum eſt, motus concupiſcentiæ prævenientes, & omnino involuntarios non eſſe peccata, nec prohibita præcepto: *Non concupiſces*: ideoque hominem eos ſentientem, ſed non conſentientem, legis practicæ non debere pronuntiari tranſgreſſorem. Quemadmodum enim Deus homini non præcipit, ut faciat, quod facere non poteſt: ita neque prohibet id, quod vitare, etſi maxime velit, omnino non valet. Impediunt quidem hi motus, ne omni modo, ex corde toto; non tamen efficiunt, ut ea, quæ de diligendo Deo lex eſt, non veraciter impleatur; charitas enim, quam ſecum conſiſtere patitur, etſi violenta carnis rebellio, idcirco etiam legis plenitudo dicta eſt, quod per eam divina lex impleatur. Unde merito a S. Pio V damnatus eſt articulus 75 *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro ſtatu hominis vitiati prohibiti præcepto*: Non concupiſces: *Unde homo eos ſentiens, & non conſentiens, tranſgreditur præceptum*: Non concupiſces: *quamvis trangreſſio peccatum non deputetur.* Et 76. *Quandiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptum*: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

LXII. Nec obſtat, hoc axioma: Deum impoſſibilia non præcipere, fuiſſe familiare Pelagio, & Pelagianis. Nam Pelagius, & Pelagiani, & abutebantur ad ſuæ hæreſis confirmationem; & ut perſuaderent, omnia præcepta legis poſſe per ſolas vires liberi arbitrii adimpleri: cum nos dicamus impleri quidem poſſe, ſed divinæ gratiæ adjutorio. Hinc Beda *lib.* 1. *in Cantica* contra Julianum Pelagianum ait: *Quod dicit, Dominus non impoſſibile aliquid præcepiſſe, qui juſtus eſt, verum profecto dicit, ſi ad ejus reſpicit auxilium, cui Catholica vox ſupplicat*: Deduc me in ſemitas mandatorum tuorum. *Si vero viribus animi ſui fidit, refellit eum veridica ejuſdem juſti Conditoris ſententia, quæ dicit*: Sine me nihil poteſtis facere.

LXIII. Objiciunt, Petrum, *Actor.* 15. *ver.* 10. de jugo legis dicentem: *Quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus.* Item Paulus *Rom.* 7. *ver.* 18. ubi ait: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.*

LXIV. Sed ad primum dico, Petrum non ſignificare impoſſibilitatem legis ſervandæ, ſed difficultatem, qua non obſtante multi, etiam ante Chriſti adventm, eam ſervarunt.

Ad ſecundum jam alibi dixi, quomodo exponendus ſit Paulus. Modo addo, ſenſum ejus eſſe hunc: habeo quidem (etſi non ex me, ſed ex divino munere) voluntatem non patiendi, neque ſentiendi pravos concupiſcentiæ motus: ſed velim, nolim, eos patior; & ſic non invenio, me (tametſi divina gratia adjutum) poſſe totum illud bonum perficere, quod bene vellem. In hoc tamen non peccabat Paulus, ſed in hac infirmitate virtus ejus perficiebatur. Unde roganti ipſi, ut a ſtimulo carnis ſuæ Angelo Satanæ eum colaphizante liberaretur, 2. *Cor. cap.* 12. *ver.* 9. reſpondit Dominus: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.*

DUBIUM VIII.

An ſit neceſſaria Gratia ad Victoriam Tentationum?

§. I.

Aliqua ſupponuntur.

I. SUppono primo: tentationem nil aliud eſſe, quam motivum ſolicitans, ac inducens ad malum, vel retrahens a bono; quod ex triplici cauſa poteſt occurrere: nempe, ex ſuggeſtione Dæmonis, ex inclinatione appetitus, & ex occaſionibus, quæ in humano convictu ſeſe offerunt. Et hi ſunt tres humani generis hoſtes, vulgo dicti Dæmon, Caro, Mundus.

II. Suppono ſecundo: quaſdam tentationes eſſe graves, magnas, vehementes, & difficilis repreſſionis; alias leves, parvas, parum urgentes, & facilis repreſſionis. Primi generis ſunt, quæ vel multum durant, vel multum impellunt, quia ſunt de objecto valde alliciente ad ſui proſecutionem, & ad quod tentatus valde eſt propenſus, vel ex complexione, vel ex habitu. Secundi generis ſunt, quæ vel parum durant, vel non multum alliciunt. Ad cognoſcendum autem, quæ ſit gravis, quænam vero ſit levis tentatio, nulla certa regula præſcribi poteſt: nam quæ reſpectu unius eſt gravis, poteſt eſſe levis reſpectu alterius. Quare ad formandum judicium de gravitate, vel levitate tentationis, attendendum eſt ad circumſtantias, & præcipue perſonæ, quæ tentatur.

III. Suppono tertio: tripliciter poſſe vinci tentationem. Primo ex fine pravo; ut ſi quis vincat tentationem luxuriæ ex avaritia, aut gulæ ex inani gloria. Quo pacto multi Ethnici tentationes ad vitia habentia turpitudinem ex gloriæ cupiditate vicerunt, & alia multa graviora, & difficillima ſuperarunt: & ad vincendam tentationem ex hoc fine, certum eſt, gratiam neceſſariam non eſſe; cum hæc non ſit bona & vera victoria, quoniam *carnalis cupiditas, qua peccatum commutatur potius, vel augetur, cupiditate alia non ſanatur*, ut ait Auguſt. *lib.* 3. *contra duas Epiſt. Pelagian. cap.* 4. & ita vincens

non vincat, niſi ab alio peccato victus. Unde Proſper *Carmine de ingratis* de eo dicit: *In vulnera vulnere ſurgit*: hoc eſt, unum peccatum vincit altero peccato. Nec tam ipſe homo vincit peccatum, quam unum peccatum vincat aliud: ideoque ad ejuſmodi falſam victoriam nec gratia, nec auxilium Dei concurrunt, cum Deus neminem adjuvet ad peccandum.

Secundo, victoria tentationis contingere poteſt ex amore Dei, & charitate: & hoc modo certum eſt, non poſſe vinci ſine ſpeciali gratia. Victoria enim hoc modo confert ad ſalutem. In negotio autem ſalutis: *Sola, quæ per Chriſtum eſt, gratia homines liberantur a malo, & ſine ea nullum prorſus, ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo, faciunt bonum*, ut ait Auguſt. *l. de Corrept. & gratia c.* 2. Et in hoc ſenſu intelligendum eſt illud Pſam. 117. v. 13. *Impulſus, everſus ſum, ut caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Pſ. 17. v. 30. *In te eripiar a tentatione.* Et Matth. 6. v. 13. *Ne nos inducas in tentationem.*

Tertio modo poteſt vinci tentatio ex fine vel motivo naturalis honeſtatis, virtutis, & odio turpitudinis peccati, non tamen ex amore Dei, nec cum proventu, aut lucro animæ: ita ut talis victoria ad ſalutem animæ, aut juſtificationem nec proxime, nec remote conducat, aut diſponat. Et in hoc ſenſu Dubium procedit.

IV. In hoc Vaſquez, & omnes illi, qui tenent, abſque auxilio ſpeciali gratiæ nullum prorſus opus moraliter bonum effici ab homine lapſo; conſequenter dicunt, nullam tentationem, quamvis leviſſimam, poſſe ab eo vinci ſine ſpeciali gratiæ auxilio. Qui vero affirmant, hominem lapſum ſine ſpeciali auxilio gratiæ poſſe aliquod opus bonum morale facere; ſuſtinent, poſſe etiam ſine ſpeciali auxilio aliquam tentationem levem ſuperare, non tamen gravem.

§. II

Prima Reſolutio.

V. DIco primo. Contingere poteſt, quod homo lapſus ſine auxilio ſpeciali gratiæ, cum ſolo auxilio generali Dei moventis, aliquam levem tentationem ſuperet. Prior pars ex dictis ſuperius ſequitur: Docuimus enim, naturam hominis non eſſe ita corruptam, & liberum arbitrium non eſſe ita extinctum, quin aliquando ſuis viribus aliquod bonum morale facere, & aliquod præceptum naturale ſervare poſſit; ergo etiam poterit aliquam levem tentationem vincere. Conſ. probat. Dum enim voluntati proponitur judicio indifferente aliquid faciendum: non ſolum ei proponitur bonum, ſed etiam repræſentatur malum, & utrumque, ut ſibi conveniens, & aliquomodo alliciens; ergo dum voluntas relicto malo proſequitur bonum, aliquam ſaltem levem tentationem vincit; ergo ſi aliquando bonum operari poteſt ſine gratia, poterit etiam aliquando vincere tentationem levem ſine gratia.

VI. Secundo probatur. Neque eſt ſpecialis gratia, quod una, vel altera tentatio levis ſit; neque eſt ſpecialis gratia, quod aliquando vincatur, ſuppoſito, quod levis ſit: ergo &c. Ant. pro prima parte probatur. Non eſt connaturale homini etiam lapſo, quod objecta delectabilia ipſum ſemper nimis alliciant, quod ex humanorum commotione ſemper graviter moveatur, & quod Deus ſemper permittat, hominem a Dæmone tentari: ſed potius cum in eo inclinatio ad bonum honeſtum non ſit prorſus extincta, convenit, ut objecta ſenſibilia minus moveant, ac minus repugnent rationi, in iis præſertim actibus, ad quos homo eſt naturaliter propenſus, ut honorare Parentes, vel dare eleemoſynam extreme indigenti, qui actus facile, & cum magna delectatione ſæpe fiunt. Et licet homo in pœnam tentetur a Dæmone; ad ſuavem tamen Dei providentiam pertinet, quod non ſemper reſpiciat ad hominis indignitatem, ſed aliquando concedat tentari ſolum leviter; ergo non eſt ſemper ſpecialis gratia, quod tentatio ſit levis.

Secunda autem pars prob. indifferenti, & expedito ad bonum, & malum, & potius aliqualiter inclinato ad bonum, debetur, ut non ſemper permittatur malum; ſed potius connaturale videtur, ut aliquando determinetur ad bonum, & aliquando permittatur malum: ſed homo lapſus, etiam leviter tentatus, manet indifferens ad bonum; ergo &c.

Et confirmatur. Quia infirmitas naturæ lapſæ tollit quidem potentiam expeditam ad opus difficile, quod eſt proprium hominis ſani, non tamen ad opus facile, ut vidimus: ſed vincere levem tentationem eſt opus facile: ergo &c.

Hinc S. Pius V. inter propoſitiones Baii damnavit hanc, *num.* 30. qua negabat: *Tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea ſuperetur.* Ex quo conſtat, liberum arbitrium alicui tentationi reſiſtere poſſe ſine gratiæ Chriſti adjutorio, ſic ut non inducatur in tentationem, neque ab ea ſuperetur, eſſe doctrinam catholicam.

VII. Huc etiam pertinet, quod S. Auguſtinus *lib.* 1. de *Peccat. meritis cap.* 22. agnoſcit hominem a pueritia modeſtiorem, ingenioſiorem, temperatiorem, magna ex parte libidinis victorem, qui oderit avaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad cæteras virtutes pronior, aptiorque conſiſtat: & tamen eo loco ſit, ubi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit. Loquitur enim de illo, qui ſine fide, & fidei voluntate, imo & ſine cognitione, ſine ſpeciali gratia operatur; ergo iſte poterit ſine ſpeciali gratia aliquam levem tentationem vincere, & opus bonum facere.

VIII. Quod vero ſine auxilio Dei moventis nemo poſſit, (quæ eſt altera Aſſertionis pars) conſtat. Quia levem aliquam tentationem vincere, eſt quoddam bonum morale: ut autem docet S. Thom. hac *qu.* 109. *a.* 2. & reliquis, nullum bonum morale fieri poteſt abſque Dei primæ cauſæ, & primi motoris auxilio.

IX. Sed objicies primo, Scripturam, Concilia, & Patres victoriam tentationum ſoli divinæ gratiæ tribuere: Scripturam quidem. Nam *Pſ.* 17. *v.* 30. dicitur: *In te eripiar a tentatione.* Pſalm. 117. v. 13. *Impulſus everſus ſum, ut caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Matth. 26. v. 41. *Orate, ut non intretis in tentationem.* Concilia etiam. Nam Arauſicanum II. Can. 9. *Divini* (inquit) *muneris eſt, cum recte cogitamus, & pedes noſtros a falſitate, & injuſtitia continemus.* Et in Concilio Palæſtino, apud Dioſpolim, cogitur Pelagius retractare capita errorum ſuorum, quorum undecimum erat hoc: *Et victoriam noſtram non eſſe ex Dei adjutorio, ſed ex libero arbitrio.* Retractatio autem hæc erat: *Urſateatur, quando contra tentationes, concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvis, & illic propriam habemus voluntatem, non tamen ex illa, ſed adjutorio Dei, noſtram provenire victoriam.* Multa etiam Pontificum teſtimonia, & Patrum profert Juenin *Tom.* 5. *Inſt. Theol. p.* 6. *diſſert.* 1. *de Gratia Actuali cap.* 5. quibus conatur oſtendere, ad omnes omnino tentationes, etiam leves, ſuperandas, requiri gratiæ adjutorium.

X. Reſpondeo, omnia præfata teſtimonia, cum Scripturæ, tum Conciliorum, tum Pontificum, & Patrum exponenda eſſe, vel non de una, aut altera levi tentatione; ſed de omnibus, aut ſaltem de pluribus, & per longum tempus, quod etiam nos concedimus, vel de vehementioribus, & magnis: vel de quarumcumque victoria cum animæ proventu: vel tandem de victoria, nedum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum, nempe, procedentem ex charitate. Concilia enim, & Pontifices, ac Patres procedebant contra errores Pelagii, qui gratiæ neceſſitatem negabat etiam ad victoriam tentationum conducentem ad animæ proventum, & ſalutem æternam. Nos autem loquimur de victoria levis tentationis ex motivo, honeſto, quidem, ſed naturali. Et hoc ſuſtinemus; ne, dum a Pelagii errore volumus extricari, incidamus in errorem oppoſitum Baii, liberum arbitrium ſpoliantis omnibus viribus ad operandum bonum, & reſiſtendum malo: qui ut vidimus, damnatus fuit. —— Nec dicat Juenin, quod Concilia &c. indefinite dicunt, victoriam tentationum eſſe a Deo, & conſequenter omnium; quia propoſitio indefinita æquivalet univerſali. —— Nam indefinite quidem loquuntur, ſed in determinata materia, nempe, de victoria cum animæ proventu ad ſalutem: unde ſequitur quidem, omnem victoriam hoc modo reportatam eſſe ex ſpeciali gratia, non autem omnem omnino. Etenim etiam dicunt cum Scriptura, omne bonum de ſurſum eſſe, ſufficientiam noſtram ex Deo eſſe: & tamen ipſe Juenin, citato loco *c.* 1. *a.* 2. concedit, hominem lapſum poſſe ſine gratia opus aliquod referre ad finem honeſtum, licet perraro. Cur ergo dici non poterit, poſſe etiam aliquando, & raro levem aliquam tentationem ſine gratia ſuperare? —— Idcirco a Deo petimus victoriam tentationum, etiam levium: quia aliquando vinceret tentationem levem, eſto non ſit ſpecialis gratia naturæ; quod tamen hic homo lapſus, in hac occaſione, levem ſolum patiatur tentationem, vel illam vincat: ſpecialis gratia eſſe poteſt huic individuo, ut ſupra diximus de actu bono facili: & ideo Deum rogamus.

XI. Objicies ſecundo, & replicabis. Quod non omnis tentatio ſit gravis, ſed aliqua levis, ſpecialis gratia eſt; ergo &c. Ant. prob. ex Patribus ponderantibus inſidias Diaboli, qui totis viribus conatur ad hominis perditionem, & contra quem nobis continuo pugnandum eſt; cui certe ſemper ſuccumberemus, niſi divina gratia præſto foret. Quod ſi aliquando non graviter, ſed leviter tentet, meritis Chriſti adſcribendum eſt; qui Dæmonem ligavit, ne ſemper tentet, & ne quoties tentat, graviter tentet.

XII Reſpondeo, diſting. ant. Specialis gratia eſt huic, vel illi individuo, conc. ant., naturæ humanæ ſemper, neg. ant. Quod enim ego potius, quam alter levi tentatione pulſer, & eam vincam, mihi certe gratia eſt ſpecialis. At quod natura humana, viribus quidem ad bonum infirmata, ſed non penitus deſtituta in aliquo ſuo individuo, & aliquando tentatione ſolum levi impetatur, & eam vincat, connaturale, & debitum eſt, non gratioſum; ſicut etiam, quod in aliquo ſuo individuo aliquod opus bonum operetur. Ad probat. dato, quod omnis pugna noſtra ſit contra Diabolum, cum ſæpe homo tentetur a concupiſcentia ſua, ut ait S. Jacobus *c.* 1. *v.* 14. quæ non ſemper graviter tentat, concedo, quod Diabolus, ſi ſibi relinqueretur, ſemper graviter nos tentaret; ſed hoc ſibi non ſemper a Deo permittitur, imo interdum coercetur: quæ Diaboli refrænatio, eſto ex meritis Chriſti ſit, ad providentiam tamen generalem ſpectat. Suppoſito enim, quod Deus hominem punire noluerit tanta pœna, ſed illi juxta ſuam debilitatem providere, & ipſius Dei bonitatem; connaturale eſt, quod aliquando pugna vel ceſſet, vel pugna ſit levis. Sicut ſuppoſito, quod Deus noluerit, hominem ob peccatum annichilare; ad providentiam generalem pertinet; quod ipſum conſervet.

XIII. Objicies tertio. Indifferenti, ut tali non debetur unum extremum præ alio, maxime ſi ad unum magis propendat: ſed homo, leviter tentatus, indifferens eſt ad vincendum, & ſuccumbendum, imo pronior ad ſuccumbendum; ergo ei non debetur auxilium ad vincendum.

Addo, quod ſi ei deberetur, non poſſet abſque injuria denegari; ſed homini, leviter tentato, ſæpe ſine injuria negatur, cum de

cum de facto ſuccumbat, quin Deo imputetur ejus lapſus; ergo &c.

XIV. Reſpondeo, diſt. maj. Non debetur in omni individuo, & in omni occaſione, conc. maj. non debetur naturæ in aliquo individuo, & aliqua occaſione, neg. maj. Et ſimiliter diſt. conſ. Ut ergo dicebamus, auxilium ad vincendum potius, quam ſuccumbendum tentationi, eſto ſit ſpecialis gratia huic individuo, & in hac occaſione; eſt tamen debitum naturæ humanæ, cui debetur aliquando vincere, & non ſemper ſuccumbere: & licet ratione corruptionis aliquam contraxerit pronitatem ad malum, retinet tamen indifferentiam, & inclinationem ad bonum. Quod exemplo firmatur: nam quod aliquis homo gaudeat bono ingenio, firma valetudine: ſpecialis gratia eſt individuo præ altero, cui non confertur: quia tamen ad generalem Dei providentiam pertinet providere, ut natura humana in aliquo ſuo individuo talibus donis fruatur; ideo naturæ humanæ ſpecialis gratia non ſunt.

Ad id, quod additur, dico, quod cui debetur, nunquam negatur: debetur autem naturæ humanæ in aliquo individuo vage, & aliqua occaſione, & hoc nunquam negatur. Si autem negatur huic individuo, non fit injuria, quia illi non debetur: & ſi huic negetur, alteri tamen, vel illi in altera occaſione conceditur.

§. III.

Poſterior Reſolutio.

XV. DIco ſecundo. Homo lapſus non poteſt ſine ſpeciali gratia ficta, nedum individuo: ſed naturæ vincere gravem tentationem. Hanc veritatem probant primo omnes auctoritates Scripturæ, Conciliorum, Pontificum, & Patrum, quas Adverſarii §. præcedente attulerunt.

Deinde eam ſuadet ratio, primo. Natura lapſa eſt debilis, & infirma, liberum etiam arbitrium ad bonum, etſi non ſit extinctum, eſt tamen viribus attenuatum; ergo, niſi ſpecialiter juvetur, ſolum poterit ad opera facilia, non ad difficilia, qualis eſt victoria gravis tentationis. Conſeq. probatur ex ſæpe allato exemplo hominis infirmi, qui aliqua quidem facere poteſt, non tamen omnia, quæ facere poteſt ſanus.

XVI. Secundo probatur. Gravis tentatio illa eſt, quæ vehementer inclinat ad malum, & retrahit a bono; & licet non totaliter præveniat rationem, illam tamen obſcurat; ex quo fit, ut in illius præſentia tepide, & remiſſe voluntatem alliciat: at eo ipſo, quod ita contingit, non debetur homini determinatio ad bonum rationis; ergo ſi ad illud determinetur, ſpecialis gratia erit. Min. probatur primo. Voluntas poſita inter duo bona inæquali efficacia ſibi propoſita, connaturalius amplectitur bonum ſibi efficacius propoſitum; ergo amplecti bonum rationis tepide, & remiſſe propoſitum, relicto bono delectabili efficacius movente, quod in gravi tentatione contingit, non debetur voluntati. Secundo. Connaturale eſt cuivis agenti, operari ſecundum prævalentem inclinationem: ſed urgente gravi tentatione prævalet inclinatio ad bonum delectabile; ergo &c.

XVII. Sed objicies primo. Hoc ex motivo humano, & ſæpe pravo, poteſt vincere gravem tentationem; imo multa mala, ac ſenſibilia pati, uſque ad ſuſtinendam mortem; ergo poterit etiam ex honeſto motivo vincere gravem tentationem, & fortia quæque pati. Conſ. probatur. ideo ex motivo honeſto homo id non poſſet, quia in conſpectu gravis tentationis bonum rationis valde remiſſe, bonum autem delectabile valde intenſe, & efficaciter ei proponitur: & ideo magis eum movet, & inclinat: ſed etiam homini graviter tentato v. gr. de furto, remiſſe proponitur motivum pravum, puta inanis gloriæ, alias tentatio furti non eſſet gravis; ergo ſi non obſtante hoc, ex motivo inanis gloriæ poteſt vincere tentationem furti, quare non poterit eam vincere etiam ex motivo honeſto?

XVIII. Reſpondeo, conc. ant. neg. conſ. ad prob. neg. abſolute minor. Eſto enim initio tentationis de furto, furtum magis moveat, & alliciat, quam inanis gloria; conſiderans tamen, quod ſi furetur, famam amittet, format judicium practicum, melius ſibi eſſe abſtinere a furto, quam furando famæ jacturam pati: quo judicio cupiditas ſervandæ famæ magis incipit movere, quam cupiditas furti, & ſic tentatio, quæ erat gravis, fit illis levis. Cumque hoc judicium viribus propriis formare poſſit, poteſt etiam viribus propriis, ex motivo humano, vincere tentationem gravem, ſeu verius de una tentatione in aliam ruere, eique ſuccumbere: non ſic autem poteſt eam vincere ex motivo honeſto. Nam, ut docet Sanctus Auguſtinus *lib. de Patientia cap.* 26. bonum rationis non ita efficaciter movet ſenſum, imo ſæpe opponitur illi. At cupiditas mundi, amor proprius, illaque motiva prava valde propinqua ſunt, & amica ſenſui; ex quo fit, ut homo graviter tentatus, ex propriis inſufficiens ſit ad graves tentationes vincendas, ex motivo honeſto; cujus convenientiam non facile percipit, ſeu vix tunc percipit, niſi ſpeciali gratiæ lumine illuſtretur mens, & voluntas moveatur. At ex amore proprio, vel mundi cupiditate præſto adeſt motivum: cupiditas enim ita exagitat voluntatem, ita efficaciter ſuadet, & fallaciter decipit, ut quæcumque etiam terribilia vincat, & ſuperet; quæ tamen victoria non eſt, ſed inſania, & jactura.

Hoc exponit S. Aug. citato loco, ſimili argumento reſpondens his verbis: *Qui hæc dicunt, non intelligunt & quemque iniquorum tanto eſſe ad quæcumque mala perferenda duriorem, quanto in eo major eſt cupiditas mundi: & quemque juſtorum tanto eſſe ad quæcumque mala perferenda fortiorem, quanto in eo major eſt charitas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progreſſum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo conſuetudinis. Charitas autem Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.*

XIX. Objicies ſecundo. Non reſiſtere gravi tentationi imputatur homini ad culpam; ergo ei poteſt reſiſtere ſuis viribus: nemini enim imputetur ad culpam, quod vitare non poteſt.

Confirmatur. Voluntas libera eſt ad reſiſtendum gravi tentationi libertate nedum a coactione, ſed a neceſſitate: atqui, ſi non poſſit reſiſtere &c. eſſet neceſſitata ad ſuccumbendum, & non libera a neceſſitate; ergo &c.

XX. Reſpondeo ex ſæpe dictis, neg. Conſ. Ad prob. ibi adjunctam diſt. ant. Quod vitare non poteſt, nec propriis, nec ab alio acceptis viribus, conc. ant. quod non poteſt propriis viribus præciſe, neg. ant. Sicut enim, ut homo dicatur poſſe obſervare præcepta etiam ſupernaturalia, & vitare peccata contra illa, non eſt neceſſe, ut id præſtare valeat propriis viribus; ſed ſufficit, ut id præſtare valeat gratia ſufficiente, quæ ipſi a Deo præſto adeſt, cum eorum urget obligatio: ita, ut homo graviter tentatus contra præcepta naturalia poſſit tentationi reſiſtere, non requiritur, ut id propriis viribus poſſit; ſed ut poſſit viribus gratiæ, quæ illi quoties tentatur, adeſt, & qua, ſi velit, poteſt tentationi reſiſtere.

Ad Confirm. dico, voluntatem, dum tentatur, eſſe liberam a neceſſitate ſuccumbendi, non libertate naturæ ſibi relictæ, ſed adjutæ per gratiam. Unde Paulus, Galat. 4. v. 31. *Non ſumus* (inquit) *ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit.*

XXI. Objicies tertio. Ex S. Auguſtino *lib. de Potentia cap.* 27. Poteſt quis ab Eccleſia ſeparatus, non pro errore, qui eum ſeparavit, ſed pro veritate dogmatis, quæ apud eum remanſit, qualecumque ſupplicium perpeti, etiam mortis: at is propriis naturæ viribus, & humanis motivis inductus, mortem, aliaque ſuſtineret: ergo &c.

Reſpondeo ex S. Aug. ibi *c.* 29. diſt. maj. Poteſt ſeparatus ab Eccleſia pro veritate fidei &c. perpeti per donum Dei, quod S. Aug. ibi *Donum Exhæredatorum* appellat, conc. maj., per naturæ vires, diſtinguo rurſus. Si dominetur in illius animo paſſio aliqua vehementior, puta, ſtudium conſervandæ apud Sanctiores famæ: concedo, ſi ſecus, nego. Sic idem S. Doct. fortitudinem Gentilium, qua ad aſſerendam patriæ libertatem, & incolumitatem, mortem objerunt, appellat *donum Dei*, diverſum tamen a donis filiorum Cæleſtis Jeruſalem.

DUBIUM IX.

An ad diu vitanda omnia Peccata Mortalia, quæ ſunt contra Legem Naturæ, requiratur Specialis Gratia.

§. I.

Aliqua Supponuntur.

I. DE peccatis mortalibus hic ſermo eſt: an ſine gratia poſſit homo lapſus omnia vitare. Nam de venialibus ſequenti dubio agemus. Inſuper de peccatis mortalibus contra legem naturæ: nam de peccatis contra præcepta ſupernaturalia hic non loquimur. Dixi quoque; an ad ea *Diu* vitanda? nam ad ea vitanda, per breve tempus, hominem potentem eſſe ſine gratia, ſuppono. Non enim homo in ſtatu peccati mortalis exiſtens in omnibus ſuis actibus peccat, ut contra hæreticos, & Bajum ſtatuit Eccleſia. Unde ſuperius diximus, hominem in peccato mortali exiſtentem non ſemper operari ex affectu ad peccatum; ſed aliquando opera moraliter bona facere poſſe. Addo: quod ſi homo in peccato mortali exiſtens in omni actu ſuo peccaret, ut peccatum vitare non poſſet, peccata illi voluntaria non eſſent; quod enim vitari non poteſt, nec peccatum eſt, nec voluntarium. Sermo igitur eſt: an poſſit ſine gratia homo lapſus peccata mortalia vitare, per diuturnum tempus. Ita S. Thom. hac *q.* 109. *a.* 8. his verbis: *Antequam hominis ratio, in qua eſt peccatum mortale, reparetur per gratiam juſtificantem, poteſt ſingula peccata mortalia vitare, & ſecundum aliquod tempus: quia non eſt neceſſe, quod continuo peccet in actu. Sed quod diu maneat abſque peccato mortali eſſe non poteſt.*

II. Loquimur etiam de homine in ſtatu naturæ corruptæ: ſupponitur enim cum S. Thom. citato loco, quod in ſtatu naturæ integræ poterat homo abſque uſu, & influxu gratiæ habitualis (*non tamen ſine auxilio Dei eum in bono conſervantis, quo ſubtracto etiam ipſa natura in nihilum decideret*) omnia peccata ſive mortalia, ſive venialia vitare. Et rationem dat: quia peccare contra legem naturæ eſt recedere ab eo, quod eſt ſecundum naturam: ſed natura integra poterat non recedere ab eo, quod eſt ſecundum naturam: poterat enim omne id, quod eſt naturale; ergo poterat vitare omne, quod eſt contra naturam.

III. Neque inferas, quod ſi homo in ſtatu naturæ integræ potuiſſet, vitando omnia peccata, evadere damnationem ſine gratia, ſeu ſine uſu gratiæ, potuiſſet etiam abſque uſu gratiæ ad ſalutem pervenire —— Nam plus requiritur ad ſalutem conſequendam, quam ad evadendam damnationem, ſi utrumque abſolute conſideretur, præſcindendo a præſenti ſtatu. Ad evadendum enim damnationem ſufficit, nec peccatum habere, nec peccare: ad habendam vero ſalutem, ulterius requiritur, eſſe filium Dei adoptivum per gratiam, & ea gratia bene uti, quando occurrit obligatio implendi divina præcepta, ut ad ſalutem oportet. Ita S. Thom. *Qu.* 24. *de Verit. art.* 12. *ad* 2. ubi ait: *Et propterea non ſequitur, quod ſi aliquis evadat damnationem ex libero arbitrio, propter hoc ex viribus liberi arbitrii poſſit gloriam acquirere, hoc enim majus eſſet, & patet inſtantia de homine in ſtatu innocentiæ.* His ſuppoſitis.

§. II.

Reſolutiones.

IV. DIco primo. Homo in ſtatu naturæ corruptæ non poteſt peccata mortalia contra legem naturæ per diuturnum tempus vitare, niſi ſanetur per gratiam ſanctificantem. Ita Div. Thom. hoc *art.* 8. cujus ratione ſic probo. Quamdiu ratio non eſt perfecte ſubjecta Deo, non poteſt eſſe, quin inſurgant multæ inordinationes in actibus rationis: ſed ratio non fit perfecte ſubjecta Deo, niſi per gratiam habitualem, eam a peccato ſanantem; ergo &c. Maj. probatur. Sicut inferior appetitus debet ſubdi rationi, & per rationis judicium regulari debent motus inferioris appetitus; ita etiam ratio debet ſubdi Deo, & in ipſo conſtituere finem ſuæ voluntatis, ita ut ex ipſo regulentur omnes actus humani: ſed quamdiu inferior appetitus non eſt totaliter ſubjectus rationi, non poteſt eſſe, quin contingant inordinati motus in appetitu ſenſitivo; ergo ratione hominis non totaliter exiſtente ſubjecta Deo, conſequens eſt, ut contingant multæ inordinationes in ipſis actibus rationis, & proinde peccata mortalia; quæ nil aliud ſunt, quam deordinationes rationis humanæ a Deo ultimo fine.

V. Confirm. ex eodem S. Doctore. Ut homo poſſit vitare omnia, & ſingula peccata mortalia, debet habere cor ſuum firmatum in Deo, ita ut pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando, ab eo ſeparari velit: ſed qui eſt in peccato mortali, non habet cor ſuum firmatum in Deo, ſed habitualiter a Deo averſum; ergo &c. Maj. probatur. Cum enim multa occurrant in hac vita mala, quæ formidamus, & bona delectabilia, ad quæ allicimur; ſi homo non habet cor ſuum firmatum in Deo, facile, propter conſequenda illa bona, aut vitanda illa mala, recedet ab illo, & contemnet præcepta ejus. Tum etiam, quia in repentinis homo operatur ſecundum præconceptum finem, & ſecundum habitum præexiſtentem; ergo qui habet cor ſuum firmatum, non in Deo, ſed in bono commutabili, ſtatim eliget illud, quod huic eſt conſonum: *Quamvis* enim *ex præmeditatione rationis poſſit homo aliquid agere, præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus*: tamen, *quia homo non poteſt eſſe ſemper in tali prædeterminatione, non poteſt contingere, ut diu permaneat, quin operetur ſecundum convenientiam voluntatis deordinatæ a Deo, niſi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur.*

VI. Neque dicas, ex hac ratione ſolum concludi, quod ratione hominis non perfecte ſubjecta Deo, non poſſint vitari ſubditæ inordinationes, quæ ſunt peccata venialia, cum ob defectum deliberationis non poſſint eſſe mortalia. Nam in primis dicta proportio ſic eſt accipienda: ut ſicut ſenſualitas non ſubjecta rationi, intra breve tempus, incidit in peccata venialia; ita ratio non ſubjecta Deo, intra breve tempus, incidit in mortalia; quia is, qui alicui fini perverſo inhæret, non diu ſtat, quin eligat aliquid conſimiliter ad ipſum —— Deinde: dum S. Th. dicit, quod qui eſt fini pravo affixus facile habet ſubitas inordinationes, non vult, eas eſſe ita ſubditas, ut ſint abſque omni deliberatione requiſita ad peccatum mortale: ſed quia ſint abſque deliberatione tali, quæ ſufficiat, eum a peccato mortali perpetrando retrahere. Qui enim eſt animo male affectus, quando ad novum peccatum mortale tentatur, vel non acta advertit, ſicut poſſet, ac deberet, quod ſit contra Dei legem; vel ſi advertit; ea cogitatio non ſufficit, ut ipſum a peccando retrahat; quia minoris æſtimat Deum, quam finem illum perverſum, cui adhæret. Unde vel contingit, quod priuſquam bona cogitatio illi occurrat, jam conſenſerit; vel ſi occurrat, ipſum non moveat ſtatim ſine majori deliberatione, quæ non ſemper adeſt. Unde S. Thomas Q. 24. de Verit. a. 12. *Quando* (inquit) *homini ſic diſpoſito occurrit aliquid faciendum, quod præcedenti electioni conveniat, repente fertur in illud per electionem, niſi multa deliberatione ſeipſum cohibeat. Nec tamen per hoc, quod ſic repente illud eligit, a peccato mortali excuſatur, quod aliqua deliberatione indiget: quia deliberatio illa ſufficit ad peccatum mortale, qua perpenditur, illud, quod eligetur, eſſe peccatum mortale, & contra Deum.*

VII. Accedit: quod, ut ait S. Gregorius Homil. 11. in Ezech. & lib. 25. Moral. c. 9. *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere in aliud trahit.* Quia ut idem *Homil.* 17. *in Ezech.* advertit, peccatum, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum eſt, aut cauſa peccati; ſi citius pœnitendo non tergitur, juſto judicio Omnipotens Deus obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere. Si ergo peccatum manens reatu, aliud peccatum trahit, & peccator meretur, ut Deus in pœnam præcedentis, & nondum deleti per pœnitentiam peccati, ſinat eum labi in alia; quomodo poterit diu manere, quin in novum labatur peccatum?

Adde: quod hominem in tali ſtatu multa circumſtant, tam intrinſeca, quam extrinſeca ipſum provocantia ad peccandum: nimirum rebellio appetitus, tentatio Dæmonum, & ſocietas pravorum hominum, qui exemplis, & conſiliis ſuis rationem, per peccatum habitualiter a Deo averſam, in continuo periculo noviter peccandi tenent; quod propriis viribus certe, ſaltem diu, vitare non poteſt.

VIII. Dico ſecundo. Homo per gratiam habitualem ſanatus, ut diu vitet peccata mortalia, indiget adhuc gratia actuali auxiliante. Ita S. Thomas *quæſt* 109. *art.* 9. & probat primo exemplo S. Auguſtin. libr. de Natur. & grat. cap. 26. *Sicut oculus corporis pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic & homo perfectiſſime etiam juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere.* Deinde id probat, tum ratione generali; propter hoc ſcilicet, *quod nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ*: Tum *ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus humanæ naturæ; quæ licet per gratiam ſanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio, quantum ad carnem, per quam* ſervit legi peccati, *ut dicitur Rom.* 7. *Remanet etiam quædam obſcuritas in intellectu, ſecundum quam, ut etiam dicitur Rom.* 8. Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. *Propter varios enim rerum eventus, & quia etiam nos ipſos non perfecte cognoſcimus, non poſſumus ad plenum ſcire, quod nobis expediat ſecundum illud Sapientiæ* 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ: *Et ideo neceſſe eſt nobis, ut a Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia novit, & omnia poteſt. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere*: Et ne nos inducas in tentationem; *&* fiat voluntas tua, ſicut in Cælo, & in terra, *& cætera, quæ in oratione Dominica continentur, ad hoc pertinentia.* Hæc S. Thomas.

Ex his hæc conficitur ratio. Juſti, etſi ſanati quantum ad mentem, egent tamen ſanari quantum ad carnem, quæ menti adhuc rebellat: & ideo Deum orant, ne illos patiatur, tentatione vinci. Inſuper incerti ſunt, quid illis ad ſalutem expediat, & ideo Deum rogant; ut eis voluntatem ſuam oſtendat; ergo ultra gratiam habitualem, quam habent, aliam gratiam petunt, eaque indigent, & hæc eſt gratia actualis auxilians.

IX. Hoc idem oſtendit S. Doct. 3. *Contra Gentes c.* 155. hoc diſcurſu. Omne, quod eſt variabile, ad hoc ut figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis: ſed homo variabilis eſt, & de bono in malum, & de malo in bonum; ergo ut immobiliter perſeveret in bono, eget auxilio divino. Hinc eſt, quod homines, etſi juſti, debent ſemper manere in timore, debent ſemper Deum orare, ut illis concedat auxilium ad evitanda peccata, & pro eo obtento ſupplices gratias agere.

X. Hinc ſequitur, hominem juſtum poſſe vitare omnia peccata mortalia, nec indigere Dei auxilio, ut poſſit, ſed ut de facto vitet. Nam peccatum mortale in ratione conſiſtit, hoc eſt in parte rationali, quæ complectitur intellectum, & voluntatem: ſed per gratiam habitualem ratio & ſanata eſt, & reparata, quia Deo ut fini ſubjecta: ergo habet poſſe ſufficiens ad vitanda omnia peccata mortalia. Unde qui juſtificatus eſt, poteſt in novitate vitæ, & non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, ambulare, exhibere membra ſua ſervire juſtitiæ in ſanctificationem, quia peccatum in eo non dominatur, ut *Rom.* 6. dicitur, qui ex Deo natus eſt: *Omnis autem, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* (1. Joann. v. 9.) Et ratio eſt: quia is, qui per gratiam juſtificatus eſt, Deum diligit per charitatem, qui autem Deum diligit, præcepta ſervat, vel ſervare poteſt, juxta illud Joann. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Quibus accedit: quod 1. *Cor.* 12. *v.* 9. Deus dixit Paulo: *Sufficit tibi gratia mea;* non autem ea ſufficeret, ſi ea præditus non poſſet vitare omnia peccata mortalia. Et propterea Tridentinum *Seſſ.* 6. *cap.* 11. declarat, juſtificatos poſſe cum divino auxilio ſermones Dei ſervare.

§. III.

Contrariorum Rationes.

XI. PRimo objiciunt contra primam Aſſertionem. Homo integer poterat ſine gratia diu non peccare contra legem naturalem; ergo etiam homo lapſus, non enim perdidit, quæ ſpectant ad naturam. —— Reſpondetur tamen, quod licet ea, quæ ſpectant ad naturam, non perdiderit homo per lapſum; manſerunt tamen infirmata, & vulnerata in ordine ad bonum.

XII. Secundo objiciunt. Homo non habens potentiam ad diu vitandum peccatum, neceſſario peccaret, eique non imputaretur peccatum, ſicut illi non imputatur, non habere gratiam, ſine qua non poteſt peccata vitare.

Reſpondeo, negando, quod abſolute neceſſario peccaret: Deus enim omnibus dat auxilia ſufficientia, quibus, ſaltem remote, poſſit ad gratiam habitualem ſe diſponere, vel ſaltem a Deo petere auxilium ad non peccandum. Quod ſi ad eam nec ſe diſponit, nec illud petit, neceſſitatur ad peccandum, ſed a propria voluntate; qua, cum poſſet exire a ſtatu peccati, & ſe firmare in bono, mavult in ſtatu peccati perſeverare. Et licet in hominis poteſtate non ſit, gratiam habere, vel advocare; in ejus tamen poteſtate eſt, per auxilium Dei ad eam ſe diſponere, aut auxilium petere, vel ſaltem ei obicem non ponere. Reſponderi etiam poteſt ex D. Th. Q. 24. de Verit. a. 12. ad 7. *Quod aliquis exiſtens in peccato mortali poteſt vitare omnia peccata mortalia auxilio gratiæ; poteſt etiam ex naturali virtute ſingula vitare, quamvis non omnia; & ideo non ſequitur, quod peccatum committendo non peccet.*

XIII. Tertio objiciunt. Homo ſine gratia ſervare poteſt omnia præcepta naturalia diviſive, & in particulari: ſed unum ex

præceptis naturalibus eſt, non peccare contra legem naturalem; ergo poteſt contra eam non peccare.

Reſpondeo primo, neg. maj. Ut enim ſupra vidimus, non poteſt ſine gratia ſervare præceptum diligendi Deum auctorem naturæ ſuper omnia, quia includit obſervantiam totius legis: nec etiam poteſt obſervare præceptum non peccandi contra legem, quia hoc etiam eſſet, poſſe totam obſervare — Secundo, data maj. neg. min., præceptum enim non peccandi contra legem non eſt unum præceptum, ſed dixit collectionem omnium præceptorum: & ideo impleri non poteſt, niſi omnia impleantur.

XIV. Quarto objiciunt. Si ad non peccandum diu, requiritur, ut homo ſit in gratia, poſſet aliquis ſine revelatione certo ſcire, ſe eſſe in gratia, ſed hoc eſt falſum; ergo &c.

Major probatur. Homo enim per experientiam poteſt ſcire, ſe diu abſtinuiſſe a peccato mortali, quia peccatum mortale procedit ex deliberatione rationis: certo autem innoteſcere poteſt homini id, quod ex deliberatione facit.

Reſp. neg. maj. ad prob. neg. ant., nemo enim, ſecluſa Dei revelatione, certo poteſt ſcire, an amore, vel odio dignus ſit, ac proinde ſe ab omni mortali labe eſſe immunem, maxime per longum tempus. Quia eſto peccata tranſgreſſionis cognitum facilia videantur, omiſſionis tamen difficilime cognoſcuntur. Et quamvis peccatum mortale cum deliberatione fiat, multa tamen ſunt, quæ, ut affecti ſumus, repente, & præcipiti judicio facimus; de quibus ambigimus, an deliberate fecerimus, & an deliquerimus circa illa mortaliter, an ſolum venialiter. Unde merito ajebat David Pſ. 18. v. 13. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Et Paulus 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil enim mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.*

XV. Quinto objiciunt. Si homo, ut vitaret peccatum, teneretur eſſe in gratia, teneretur poſt peccatum ſtatim agere pœnitentiam: quia ſi ſtatim non ageret, exponeret ſe periculo iterum peccandi: periculum autem peccandi quiſque vitare tenetur.

Reſpondeo, negando ſequelam. Cum enim non ſemper occurrat occaſio peccandi, illud periculum eſt ſolum remotum, & ideo non obligatur illud vitare. Si tamen gravis occurrat tentatio, ſecum ferens periculum proximum peccandi; tunc tenetur orare, pœnitere, & Dei gratiam implorare. Et ideo non ſequitur, quod peccator ſit obligatus ſtatim pœnitere; ſed ſolum in iis occaſionibus, in quibus urget periculum proximum iterum peccandi.

XVI. Sexto objiciunt contra ſecundam Aſſertionem. Ideo homo lapſus non poteſt ſine gratia habituali omnia peccata contra legem naturæ vitare, quia hoc eſt opus hominis ſani: ſed homo in gratia eſt homo ſanatus; ergo homo in gratia ſine ulteriori auxilio poteſt &c.

Confirmatur. Gratia habitualis ad hoc datur, ut poſſimus bonum facere, & peccatum vitare; ergo ſi per gratiam homo non poteſt abſque ulteriori auxilio, vel gratia fruſtra datur, vel eſt imperfecta.

Reſpondeo, diſt. min., eſt ſanatus quantum ad mentem, conc. min., quantum ad carnem, neg. min. Reſponſio eſt D. Thomæ hoc *a. 9.* Eſto enim homo per gratiam ſanetur quantum ad mentem, quia per illa mens hominis ſubjicitur Deo; remanet tamen in ea corruptio quantum ad carnem, nempe, concupiſcentia, ex qua variæ, graveſque tentationes oriuntur, voluntatem ad peccatum trahere molientes: quare, ut homo juſtificatus illas ſuperet, & peccata vincat, præter gratiam habitualem, eget ſpeciali auxilio Dei, de quo dicemus infra *Dub.* 12.

XVII. Sed dices. Idem S. Doctor 3. *p. q.* 62. *a.* 6. ad 3. referens hanc reſponſionem, illam retractat dicens: *Alii dicunt, quod Circumciſio conferebat gratiam, etiam quantum ad aliquem effectum poſitivum, qui eſt facere dignum vita æterna; non tamen quantum ad hoc, quod eſt reprimere concupiſcentiam impellentem ad peccandum; quod & aliquando mihi viſum eſt. Sed diligentius conſideranti apparet, hoc etiam non eſſe verum: quia minima gratia reſiſtere poteſt cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam æternam*; ergo &c.

Reſpondeo, D. Th. non retrahere doctrinam, quam hic docet, ſed quam admiſerat in probabilem *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 2. *a.* 4. *q.* 3. nimirum, quæ aſſerebat, gratiam, quæ in Circumciſione dabatur, eſſe quidem ſufficientem ad faciendam animam dignam vita æterna; non tamen eſſe ex ſe ſufficientem ad reprimendum motum concupiſcentiæ, ſicut ſufficiens eſt gratia Baptiſmalis. Hanc ergo doctrinam in 3. *p.* retractat, dum ait: quod *minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ*, nimirum, de ſe, & quantum ad ſufficientiam. Non autem retractat id, quod docet hac *q.* 109. nimirum, quod eſto gratia de ſe ſufficiens ſit, utramque ſanitatem, & mentis, & carnis conferre; attamen ratione corruptionis, quam invenit in ſubjecto, priorem quidem conferat, non tamen ſecundam, ſaltem perfecte. Quemadmodum, licet calor aquæ bullientis de ſe ſuperet ejus frigiditatem, & ſufficiens ſit, eam tollere; quia tamen aqua non eſt ſubjectum connaturale caloris, a frigore demum expellitur: ita quia gratia in nobis violatoribus eſt in ſubjecto multum infirmo, indiſpoſito, & vertibili, licet ipſa fortior ſit concupiſcentia, & potens eam extinguere, ab ea tamen, niſi auxilio ſpeciali Dei ſuſtentetur tandem ſuperabitur, & corrumpetur.

XVIII. Ad Confirm. dico cum S. Th. hoc a. 9. ad 1. *Quod donum habitualis gratiæ non ad hoc datur nobis, ut per ipſum non indigeamus ulterius divino auxilio: indiget enim qualibet creatura, ut a Deo conſervetur in bono, quod a Deo accepit. Et ideo ſi, poſt acceptam gratiam, homo adhuc indiget divino auxilio, non poteſt concludi, quod gratia ſit in vanum data, vel quod ſit imperfecta: quia etiam in ſtatu gloriæ, quando erit omnino perfecta, homo divino auxilio indigebit. Hic autem aliqualiter imperfecta eſt, in quantum hominem non totaliter ſanat.*

XIX. Septimo objiciunt contra eamdem. Ideo homo in peccato mortali exiſtens nequit vitare omnia peccata, quia non habet cor firmatum in Deo: ſed homo in gratia habet cor jam firmatum in Deo; ergo &c.

Reſpondeo primo cum D. Th. hic *ad* 3. rationem hanc concludere, hominem in gratia non indigere alia habituali gratia, non vero non indigere divino auxilio actuali, — Secundo reſpondeo, diſt. min. Habet cor firmatum in Deo, mobiliter tamen, conc. min. immobiliter, neg. min. & conſ. Etenim negatio firmitatis cordis in Deo eſt quidem cauſa, cur homo lapſus non poſſit diu peccata vitare; poſitio tamen talis firmitatis non eſt adæquata cauſa vitationis: quia cum homo in hac vita non firmetur in bono immobiliter, ſi ulterior actualis gratia non adſit, & gravis urgeat tentatio, in bono gratiæ, quam a Deo accepit, non conſervabitur.

D U B I U M X.

An ut Homo vitare poſſit omnia Peccata Venialia, indigeat Gratia, & quali?

§. I.

Aliqua Præſupponuntur.

I. SUppono, hic non eſſe ſermonem de homine in ſtatu integritatis, & innocentiæ: in illo enim felici ſtatu potuiſſe vitare omnia peccata venialia, non ſolum diviſive, ſed etiam collective ex vi auxiliorum, quæ erant conſona illi ſtatui. Et ratio eſt: quia homo in illo ſtatu gaudebat perfecta integritate; adeo ut appetitus ſenſitivus eſſet totaliter ſubjectus rationi, & omnis pars inferior parti ſuperiori; ſed peccatum veniale conſurgit ex inordinato motu appetitus contra rationem vel partis inferioris contra ſuperiorem; ergo &c. Imo *Tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 5. *Dub.* 7. oſtendimus; hominem durante ſtatu innocentiæ non potuiſſe peccare venialiter.

II. Suppono etiam, ut certum, hominem cum ſolis auxiliis ſtatui præſenti ordinariis poſſe vitare omnia peccata venialia diviſive. Et ratio eſt: quia nullum eſt peccatum veniale, quod ab homine lapſo, ſed juſtificato, cum ſolo concurſu generali vitari poſſit: nulla enim eſt materia venialis peccati, ad quam non poſſit homo juſtificatus practice attendere, & non vitare; alias ſi non poſſet, ei peccatum non imputaretur. Loquimur ergo de omnibus peccatis venialibus collective.

III. Procedit etiam quæſtio de vitatione eorum per totam vitam, aut per longum tempus. Nam per aliquod breve tempus poſſe hominem juſtum eſſe abſque omni peccato veniali, probabilius cenſemus. Unde illud 1. Joann. 1. verſ. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus: ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: ait Div. Thom. 3. part. quæſt. 79. art. 4. *Non eſt ita intelligendum, quin aliqua hora poſſit homo eſſe abſque omni reatu peccati venialis: ſed quia vitam iſtam ſancti non ducunt ſine peccatis venialibus.* Quod confirmari poteſt ex S. Hieronym. *lib.* 3. *adverſus Pelagianos*; & ratione etiam. Tum quia qui recenter ſunt Baptizati, non omnes ſtatim peccant etiam venialiter. Tum quia; nullus juſtus adultus poſſet immediate poſt mortem migrare in Cælum, quin ad abluendam maculam prius detineretur in Purgatorio; quod tamen eſt falſum.

Nec obſtat illud Proverb. 24. verſ. 16. *Septies in die cadet juſtus.* Hoc enim verbum *in die* nec eſt in Hebræo, nec apud lxx. nec in Latinis Vulgatis emendatioribus legitur, ſed: *Septies enim cadet juſtus, & reſurget.* Imo Sanct. Auguſt. lib. 11. de Civit. Dei cap. 31. *Septies* (inquit) *cadet juſtus, & reſurget, ideſt, quotieſcumque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, ſed de tribulationibus ad humilitatem pertinentibus, intelligi voluit.* Quod ſi de lapſu in peccatum accipere velimus, non ſignificatur, quod juſtus quolibet die ſepties peccet; ſed quod etiamſi ſæpius, aut multoties peccet, facile reſurgat.

Cæterum quantum ſit illud breve tempus, in quo poſſit juſtus eſſe abſque omni peccato veniali, prorſus incertum eſt, nec ab ullo homine definiri poteſt. Poſſe tamen unum diutius altero illis omnibus carere, prout fuerit in Dei amore ferventior, nulli dubium eſt. Poſſe quoque ad unum diem, vel etiam diutius, ſi ſit honeſtis exercitiis occupatus, & in templo Dei vigilans, probabile eſt.

His ergo ſuppoſitis, quærimus: an homo in ſtatu naturæ lapſæ, ut poſſit omnia peccata venialia collective per totam vitam vitare, egeat ſpeciali gratia, quæ ſit extraordinaria, & ſpeciale privilegium. Secundo: an hoc privilegium ſit neceſſarium, ut poſſit vitare, an vero ſolum, ut de facto vitet. Tertio: an alicui ex hominibus hoc privilegium fuerit conceſſum.

§. II.

Reſolutiones.

IV. DIco primo. Nemo per totam vitam, aut per diuturnum tempus, cum ſolis auxiliis gratiæ habitualis annexis, poteſt omnia peccata venialia collective ſumpta vitare; ſed ad hoc indiget ſpeciali privilegio. Ita ex S. Thom. hac *quæſt.* 109. *art.* 8. cujus rationem infra expendemus.

Colli-

Colligitur quoque ex Scripturis. 3. *Reg. v.* 46. ait Salomon: *Non eſt enim homo, qui non peccet*: quod repetitur 2. Paral. 6. v. 36. Pſalm. 31. v. 6. *Pro hac* (nimirum pro remiſſione peccatorum) *orabit ad te omnis Sanctus.* Proverb. 18. v. 17. *Juſtus, prior eſt accuſator ſui.* Prov. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere: mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* Eccleſiaſtæ 7. v. 21. *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Jacobi 3. v. 2. *In multis enim offendimus omnes.* Et Joann. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quibus aperte apparet, homines etiam juſtos, cum ſolis auxiliis gratiæ regulariter annexis, abſque omni peccato vivere non poſſe. Et hinc eſt, quod omnes etiam juſti debent orando quotidie dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.*

V. Idem affirmant Patres. Hieronymus *Epiſt. ad Cteſiphontem.* Et *lib.* 2. *adverſus Pelagianos*; quorum inter alios, hic erat error, poſſe hominem vivere ſine peccato. Unde S. Auguſt. Serm. 29. de Verbis Apoſt. c. 2. *Sunt quidam* (inquit) *inflati viri, ita ſpiritu elationis pleni, ut dicere audeant, inveniri homines abſque peccato. Dicunt ergo, juſtos prorſus in hac vita nullum habere peccatum. Hæretici autem ſunt Pelagiani, iidemque Cæleſtiani, qui hoc dicunt.* Et c. 6. *Non autem quia dico, quod non poſſumus hic eſſe ſine peccato; homicidia facere debemus, aut adulteria, vel cætera mortifera peccata, quæ uno actu perimunt. Talia non facit bonæ fidei, & bonæ ſpei Chriſtianus: ſed illa ſola, quæ quotidiano orationis periculo terguntur.* Tract. 1. in primam Joann. *Non poteſt homo, quamdiu carnem portat, non habere levia peccata.* Et *lib.* 2. *contra Julian. c.* 8. refert, & laudat S. Cyprianum ſic dicentem: *Si nemo eſſe ſine peccato poteſt, & quiſquis ſe inculpatum eſſe dixerit, aut ſuperbus, aut ſtultus eſt. Quam neceſſaria, quam benigna eſt divina clementia; quæ cum ſciat, non deeſſe Sanctis quædam poſtmodum vulnera, dedit curandis denuo, ſanandiſque vulneribus remedia, ſalutaria?* Idem paſſim S. Auguſt. contra Pelagianos docet. Ut *lib. de Perfect. Juſtitiæ. Lib. de Natura, & gratia cap.* 12. & ſeq. *Lib. de Gratia Chriſti cap.* 45. & 48. Et *Lib. de Dono perſev. cap.* 2. ubi inter ea, quæ contra Pelagianos defendit Eccleſia, hoc ſecundo loco recenſet: *In quantacumque juſtitia, ſine qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.*

VI. Quia vero Pelagiani reſpondere ſolebant, verba e Scripturis petita, maxime ex *Epiſt.* 1. *S. Joann. c.* 1. ſolum velle, Juſtos fateri debere, ſe habere peccata, cauſa humilitatis: vel quia ſunt pars populi, qui in peccatis eſt.

VII. Priori reſponſioni obſtat, quod S. Joannes non dicit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus*, nos ſuperbimus, & humilitas in nobis non eſt (quod juxta Pelagianum ſenſum erat dicendum) *ſed ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: immo ſubjungit: *Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Sentit ergo S. Joannes, debere nos confiteri, eſſe peccatores, non ex humilitate; ſed quia omnes in peccatis ſumus. Ita intellexerunt S. Aug. *Serm.* 29. *de Verb. Apoſt.* & Concilium Milevitanum *Can.* 6. his verbis: *Quiſque ſic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem dici, nos habere peccatum, non quod vere ita eſt, anathema ſit.*

VIII. Poſteriori reſponſione obſtant teſtimonia ſupra laudata ex *Prov.* 20. *Eccleſiaſtica* 7. *Pſalm.* 31. quibus abſolute dicitur, non eſſe hominem, qui non peccet: cui addi poteſt illud Pſalmi 142. v. 2. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Unde ſignanter Daniel vir ſanctiſſimus, ſua, & populi peccata ſeorſim agnoſcit, *c.* 9. *v.* 20. dicens: *Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſrael.* S. Hieron. *lib.* 2. *contra Pelag.* prope finem: *Vides* (inquit) *quod tam pro peccatis ſuis, quam pro peccatis populi Dominum ſit deprecatus.* Merito igitur Synodus Milevitana Cap. 7. rejicit explicationem, qua Pelagiani hæc orationis Dominicæ verba: *Dimitte nobis debita noſtra*, contendebant a Sanctis dici, non pro ſeipſis, ſed pro aliis. Cui adhærens Tridentina Seſſ. 6. c. 11. *Illa* (inquit) *vox eſt, & humilis, & verax: Dimitte nobis debita noſtra.* Et ex hac doctrina confecit *Canonem* 23. ubi ait: *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit .... poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.*

IX. Ex prælaudatis teſtimoniis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum duplex argumentum conficitur. Primum eſt: Si cum ordinariis gratiæ auxiliis homo juſtus poſſet per totam vitam, aut diuturnum tempus, omnia peccata venialia vitare, aliqui iiſdem gratiæ auxiliis adjuti ea vitaſſent: atqui revera non vitarunt, cum non ſit homo, qui non peccet, cum omnis Sanctus oret pro ſui peccati remiſſione, cum nullus vivens in conſpectu Dei juſtificetur, cum, ſi quis dixerit, quoniam peccatum non habet, ipſe ſe decipiat, & veritas in eo non ſit: & tandem cum nemo ſit, qui ſuorum peccatorum remiſſionem in oratione Dominica vere non poſtulet; ergo &c.

Alterum eſt: Pelagius, & Cæleſtius damnati ſunt ab Eccleſia Catholica, quod vellent, juſtos quoſdam ea perfectione commendatos fuiſſe, ut nunquam venialiter peccaverint; ergo Eccleſia Catholica ſentit, nullum unquam omnia peccata venialia vitaſſe.

X. Probatur deinde ratione Theologica. Ut quis per totam vitam, aut diuturnum tempus, omnia venialia cum ordinariis gratiæ auxiliis vitaret; neceſſe eſſet, ut omnes, qui inſurgunt concupiſcentiæ motus, ſtatim comprimeret, & ut collective omnia ſciret, quæcumque ſibi agenda ſunt: atqui hæc duo cum ordinariis gratiæ auxiliis haberi non poſſunt. Ut enim Juſtus omnes omnino concupiſcentiæ motus ſtatim comprimeret, deberet continuo, ac ſine intermiſſione ad ſeipſum attendere, nulla negligentia torpere, nulli omnino concupiſcentiæ motui nec leviter conſentire. Ut collective ſciret omnia, quæ ſibi agenda ſunt, deberet nulla ignorantia laborare: atqui hæc nemo hominum in hoc ſtatu ſolis ordinariis gratiæ auxiliis adjutus habet, aut habere poteſt; ergo &c. Unde D. Thom. hoc *art.* 8. ait: *Non autem poteſt homo abſtinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus ſenſualitatis; cujus motus ſingulos quidam ratio reprimere poteſt, & ex hoc habent rationem peccati, & voluntarii; non autem omnes; quia dum uni reſiſtere nititur, fortaſſis alius inſurgit; & etiam quia ratio non ſemper poteſt eſſe pervigil ad hujuſmodi motus vitandos.*

XI. Confirmatur. Per gratiam cum ſolis ordinariis auxiliis non extinguitur, aut ligatur fomes peccati; hoc enim eſt privilegium nulli hactenus conceſſum, excepta B. Virgine, ut dicemus: ſed non extincto, aut ligato fomite, non poteſt homo per totam vitam, aut diu omnia venialia peccata vitare; ergo &c. Min. prob. Nam ſi fomes extinguitur, aut ſaltem ligatur, continuo fere contra rationem pugnat, contra eam appetitus inſurgit; cujus motus rationem aliquando præveniunt omnino, aliquando ſolum ejus plenam deliberationem: hique adeo frequentes ſunt, ut dum uni ratio reſiſtit, inſurgat alius, adeoque contingat, ut, dum vincit unum, vincatur ab altero; ſic in tot conflictibus impoſſibile ſit, ut aliquando ſaltem leviter non ſuccumbat; ergo &c.

XII. Sed dices, hanc rationem, quæ eſt D. Thomæ ſupra laudati, convincere ad ſummum, quod homo per totam vitam, aut diu vitare non poſſit omnia ea peccata venialia collective, quæ ex ſubreptione appetitus, & inadvertentia, ac indeliberatione rationis contingunt: at non ea, quæ ex objecto ſolum venialia ſunt, ut parva furta, verba otioſa, mendacia jocoſa.

XIII. Verum hæc non obſunt, qui S. Thomas generaliter de omnibus peccatis venialibus locutus ſit; quamvis ejus probatio ſolum procedat de venialibus, quæ contingunt ex imperfectione actus: Tum quia: illi ſatis erat concluſionis ſuæ veritatem declarare per id, quod eſt magis clarum. Quemadmodum enim ſi dicatur, quod homo non poteſt vitare omnem morbum, non eſt neceſſe, ut hujus veritatis probatio procedat, & de hoc, & de illo genere morbi, & ſic de omnibus; ſed ſatis eſt, quod de uno, eoque notiore procedat: ita ad probandum, quod homo non poteſt vitare omne peccatum veniale, ſufficit, hoc probare de uno genere peccati venialis. Tum quia S. Doct. procedere, voluit ab eo, quod certius eſt. Eſto autem tenendum ſit, hominem nec poſſe vitare omnia peccata, quæ ex genere ſunt venialia, per totam vitam, aut diu; quia homo juſtus non ſemper operari poteſt ex fervore charitatis ſecluſo ſpeciali privilegio, non adeo tamen certum eſt, quin ab aliquibus in dubium revocetur: immo non deſunt, qui aſſerant, fuiſſe aliquando homines tantæ perfectionis, ut nunquam, vel fere nunquam in peccata, ex objecto venialia, ex plena deliberatione lapſi ſint; ſed in ea tantum, quæ per ignorantiam, aut ſubreptionem contingunt. Animæ namque puriſſimæ (quales Apoſtoli, Sanctus Joſeph, Sanctus Joannes Baptiſta) ſumma diligentia, & ſumma cautione declinarunt ea omnia, quibus Deum offenſum iri certe noverunt.

XIV. Dico ſecundo. Privilegium, quod requiritur ad vitanda per totam vitam, aut per longum tempus, omnia peccata venialia collective generaliter, eſt neceſſarium homini lapſo, non ſolum ut de facto ea vitet, ſed etiam ut vitare poſſit. Hinc homo in præſenti ſtatu cum ſolis auxiliis ordinariis habet impotentiam, non ſolum conſequentem, ſed etiam antecedentem ad ea omnia vitanda: impotentiam, inquam, non ſolum moralem, ſed etiam aliquo modo phyſicam.

Colligitur ex ſupradictis. Nam ſecundum doctrinam S. Th. homo lapſus, non extincto, aut ligato fomite ſi non ſit ſemper in continua vigilia, non poteſt potentia nec moraliter, nec phyſice expedita, omnia venialia collective vitare: ſed homo lapſus non poteſt ſemper eſſe in continua vigilia, & advertentia ſupra ſeipſum, ergo &c. Maj. probatur de impotentia phyſica, quia de morali non negatur. Ibi non adeſt poſſe phyſicum phyſice completum, ubi non adeſt phyſicum principium phyſice complens vires phyſicas: ſed fomite non extincto, aut ligato, non adeſt hujuſmodi principium ad vitanda omnia peccata venialia &c. ergo &c. Min. prob. Principium phyſicum phyſice complens vires ad vitanda omnia peccata venialia collective, eſt perpetua vigilia, & advertentia rationis: ſi enim continuo non advertat homo, motus inordinatos non ſtatim reprimet, & ſic peccabit venialiter: ſed hanc continuam vigiliam, & advertentiam homo cum ſolis auxiliis ordinariis habere non poteſt; ergo &c.

XV. Confirmo. Ad id, ad quod vitandum homo non habet plenam libertatem, non habet potentiam phyſice expeditam: ſed ad vitanda omnia venialia collective non habet homo plenam libertatem: cum enim non advertente ratione inſurgant motus, & dum homo unum conatur reprimere, alius eo ipſo nolente ſubrepat; non eſt in ejus plena libertate, omnes reprimere. Hoc teſtatur Paulus Roman. 7. v. 19. *Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Et v. 23. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.*

XVI. Hæc dixi circa illa peccata venialia, quæ procedunt ex inadvertentia rationis, & non plena libertate. Cæterum

ex in-

ad vitanda omnia, quæ ſunt venialia ex objecto, & levitate materiæ, quæ ex plena deliberatione committuntur, habet homo plenam libertatem, & potentiam phyſicam: eſt tamen impotens, ſaltem moraliter, omnia vitare. Et ratio eſt: quia frequentiſſime occurrunt, & cum amicitiæ, & gratiæ Dei non opponantur, nec homo ſemper ex fervore charitatis operetur, facillime, & ſine ſcrupulo committuntur.

XVII. Dico tertio. Privilegium vitandi omnia peccata venialia collective, etſi in aliqua determinata materia videatur conceſſum aliquibus viris probis & ſanctis; generaliter tamen, & in omni materia ſoli Beatæ Virgini conceſſum eſt. Prior pars, inter cæteros, verificata videtur in Sancto Thoma, de quo canit Eccleſia: *O munus Dei gratia vincens quoddam miraculum! Peſtifera ſuperbia nunquam perſenſit ſtimulum.* Et de eodem dicit: *Per quietem ſentire viſus eſt, ſibi ab Angelis obſtringi lumbos: quo ex tempore, omni prorſus libidinis ſenſu caruit.* Similiter Sanctum Joannem Baptiſtam omnia venialia, quæ locutione committuntur, declinaſſe; & Beatum Joſeph ea, quæ contra virtutem caſtitatis pugnant (hoc enim decebat Sponſum Virginis puriſſimæ) evitaſſe, multi aſſerunt. Quod idem Beatus Gregorius refert de Sancto Benedicto: nempe poſtquam ſe inter ſpinas volutaſſet, rebellionem carnis nunquam ſenſiſſe.

XVIII. Secunda vero pars, nempe ſoli B. Virgini privilegium non peccandi venialiter in nullo genere fuiſſe conceſſum, præter teſtimonium Tridentini ſupra relatum *Seſſion. 6. Canon. 23.* traditur a S. Auguſtino *lib. de Nat. & Grat. c. 36.* ubi de Sanctis viris, ac mulieribus, quos Pelagius enumerabat, ſine peccato vixiſſe: *Excepta* (inquit) *Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem: Unde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat, nullum habuiſſe peccatum. Hac ergo Virgine excepta, ſi omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? utrum hoc, quod iſte* (Pelagius) *dicit: an quod Joannes Apoſtolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent; nonne una voce clamaſſent: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt?* Item S. Bernardo, qui *Epiſt. 174.* ſcribit: *Ego puto, quod & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum: ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem.*

XIX. Scio, aliquos, inter quos Ambroſius Catharinus notatur, docere, quoſdam alios Sanctos, quos vocat inſigniter prædeſtinatos, a mortali, & veniali per totam vitam abſtinuiſſe ſpeciali Dei prædordinatione. Inter hos reponit Jeremiam, & S. Joannem Baptiſtam, qui fuerunt in utero ſanctificati. —— Verum cum non liceat aliquem a lege generali eximere, ſine fundamento in Scriptura, Patribus, & Conciliis; & ex alia parte Scriptura potius omnes Juſtos peccare aſſerat; & Patres, ac Concilia neminem excipiant, niſi Beatam Virginem, & hoc tamquam de fide ſub anathemate pronatur: ideo exiſtimo, non ſine cenſura dictum privilegium poſſe extendi ad alios, niſi in aliquo determinato genere, vel materia, ut dictum eſt. Alioquin priori jure deberet extendi ad Apoſtolos, quos S. Thomas *lect. 5. in cap. 8. ad Roman.* ſcribit, quod ſint *omnibus aliis Sanctis præferendi*: cum tamen, & S. Petrus fuerit vere reprehenſibilis, ut ex *c. 2. ad Galat.* & SS. Jacobus, & Joannes ita loquantur, ut appareat nec ipſos ab omni culpa immunes fuiſſe.

XX. Si quæras: in quo conſiſtat hoc Privilegium non peccandi unquam nec venialiter, quod dicimus B. Virgini fuiſſe conceſſum?

Dici poteſt; conſiſtere partim in perfectione gratiæ, & virtutum; partim in ligatione, vel potius extinctione fomitis; & in extrinſeca Dei manutenſione, & providentia ſpeciali circa talem Perſonam.

§. III.

Contraria Fundamenta.

XXI. PRimo objici poſſunt varia Scripturæ teſtimonia: quæ aliquos laudat tamquam perfectos, ad Philipp. 3. v. 15. *Quicumque ergo* (ait Paulus) *perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Aliquos tamquam omnino immaculatos, Pſalm. 118. verſ. 1. *Beati immaculati in via;* Lucæ 1. verſ. 6. de Zacharia, & Eliſabeth dicitur: *Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela.* Et de Job hæc habentur *Job 1. verſ. 8.* ex ore Dei: *Quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo.* Qui autem pronunciantur immaculati, perfecti, incedentes in omnibus mandatis Dei ſine querela, abſtinentes a malo; dicuntur caruiſſe omni culpa etiam veniali.

XXII. Reſpondeo, aliquos in hac vita dici perfectos, quia ad perfectionem toto conatu tendant, non quia eam jam conſecuti ſint. Unde Paulus, *ad Philipp. 3.* ubi ſeipſum inter perfectos recenſet *verſ. 12.* dixerat: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus ſim.* Quæ verba Auguſtinus *lib. 3. ad Bonif. c. 5.* ideo ab Apoſtolo dicta eſſe contendit: *Ut oſtenderet, ſecundum iſtius vitæ modum eſſe quamdam perfectionem; eique perfectioni hoc quoque deputari, ſi ſe quiſque noverit; nondum eſſe perfectum.*

Immaculati etiam in hac vita dicuntur, non qui nullam prorſus habeant maculam, vel rugam, cum omnes vere dicant Deo: *Dimitte nobis debita noſtra*: ſed, vel qui nullam habent peccati mortalis maculam, quæ ſola perfectionem in hac vita poſſibilem deſtruit; vel quamvis levia quædam committant, cito tamen ab eis mundari currant. Unde Auguſtinus lib. de Perfectione juſtitiæ c. 9. *Ingredi* (inquit) *ſine macula non abſurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus eſt; ſed qui ad ipſam perfectionem irreprehenſibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipſa peccata venialia non negligens mundare eleemoſynis.* Et D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 8. ad 2. docet, quod *peccata venialia, quæ non contrariantur habitui charitatis, ſed actui; non repugnant perfectioni viæ, ſed perfectioni patriæ.*

Dicuntur etiam quidam ambulaſſe in omnibus mandatis, & juſtificationibus ſine querela, ideſt, ut interpretatur Aug. lib. de Gratia Chriſti c. 48. *Secundum quamdam inter homines converſationem probabilem, atque laudabilem, quam nullus hominum juſte poſſet in accuſationis, & criminationis querelam vocare. Quam propterea in Dei conſpectu Zacharias, & ejus uxor habuiſſe referuntur: quia in ea homines nulla diſſimulatione fallebant, ſed ut apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum eſt hoc ſecundum illam perfectionem juſtitiæ, in qua vere, & omnimode immaculati perfectique vivemus*: nempe in Patria.

Job autem quantumcumque juſtus fuerit, & abſtinuerit ab omni opere malo ex deliberata voluntate: donec tamen in hac vita mortali manſit, non fuit liber a lege, quæ repugnat legi mentis, & proinde nec a levibus ſordibus, quæ ex ejus ſubreptione contrahuntur. Unde ipſe Job coram Deo peccata ſua confitetur, & aperte ait, quod non juſtificabitur in conſpectu ejus omnis vivens. Hinc S. Auguſt. lib. 2. de Peccat. meritis, & remiſſ. c. 12. *Non igitur* (inquit) *præclarum illud teſtimonium Dei, quo laudatus eſt Job, contrarium eſt ei teſtimonio, quo dictum eſt:* Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Quia non id perſuadet, prorſus in illo nihil fuiſſe, quod vel ab ipſo veraciter, vel a Domino Deo recte reprehenderetur; quamvis jam juſtus, & verax Dei cultor, & ab omni opere malo ſe abſtinens non mendaciter diceretur.*

XXIII. Secundo objici poteſt. 1. Joann. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit ... & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*; ergo juſtus, dum juſtus eſt, peccatum non facit, nec veniale, nec facere poteſt.

Reſpondeo, neg. conſeq. Joannis enim verba duplicem ſenſum facere poſſunt. Vel quod juſtus nec peccat, nec peccare poteſt, ne quidem venialiter, quatenus talis; ideſt, quatenus operatur ut juſtus, nempe ex Dei gratia, & charitate. Vel quod juſtus nec peccet, nec peccare poſſit, componendo cum juſtitia peccatum juſtitiæ oppoſitum, atque adeo mortale, dum juſtus manet: ſimul enim ſtare nequeunt, peccare mortaliter, & manere juſtum: unde ſuperius dixerat v. 8. *Omnis, qui facit peccatum, ex Diabolo eſt.* Quibus indicat, ſe loqui de peccato mortali, & de eodem loqui, cum ait: *Omnis, qui ex Deo natus eſt, peccatum non facit.*

XXIV. Tertio objiciunt. Homo, etiam non extincto, aut ligato fomite, poteſt vitare omnia peccata venialia; ergo nulla eſt ratio ſupra adducta. Antec. prob. Poteſt Deus homini, quoties inſurgunt motus inordinati, vel urget motivum peccandi venialiter, conferre auxilium efficax, quo de facto vitet peccatum: ſed hoc poſito vitabit omnia venialia, nec habebit extinctum, aut ligatum fomitem: quia tale auxilium non faceret, ne motus inordinati inſurgerent; ſed ſolum, quod quoties inſurgerent, reprimerentur, & non eſſent peccata, neque venialia.

XXV. Reſpondeo, nego antec. Ad prob. diſt. major. Poteſt &c. attenta potentia abſoluta, admitto major. Attenta potentia ordinaria, neg. maj. Dato ergo, quod de potentia abſoluta poſſit Deus, mediis auxiliis efficacibus, facere, ut homo vitet omnia peccata venialia ſine extinctione, aut ligatione fomitis: attamen de ordinaria potentia, quæ omnia connaturaliter diſponit, non datur privilegium vitandi omnia peccata venialia, non prius extincto, aut ligato fomite. Hoc enim connaturalius eſt; ſicut connaturalius eſt, quod antequam Deus det gratiam efficacem ad victoriam tentationis gravis, immittat ſanctas cogitationes, & affectus tentationem minuentes, vel auferentes. Hinc Beatæ Virgini, cui ſoli conceſſum credimus privilegium generaliter vitandi omnia venialia, conceſſum fuit per extinctionem fomitis; in aliis autem, in quibus non fuit extinctus fomes, non eſt conceſſa gratia omnia venialia vitandi.

Addo: quod majus privilegium, & miraculum eſſet, ſine extinctione, aut ligatione fomitis dare auxilium efficax ad vitanda omnia venialia, quam fomitem extinguere, vel ligare. Majus enim eſt, hominem cum effræni appetitu ſemper operari conformiter ad rationem; quam ita operari, appetitu extincto, vel frænato: ſicut major victoria eſt, de hoſte fortiter pugnante triumphare, quam illum ad pugnandum reddere impotentem; & vincere, hoſte jam reddito impotente.

XXVI. Quarto objiciunt. Ex D. Thoma probavimus, hominem non poſſe vitare omnia peccata venialia collective; quia non poteſt eſſe ſemper pervigil ad reprimendos motus appetitus inſurgentis contra rationem; ergo ſaltem vitare poterit omnia venialia ex objecto talia, quæ cum plena advertentia committuntur.

XXVII. Reſpondeo ex dictis §. præcedente, negando conſeq. fieri enim non poteſt, quod animus hominis in hac vita inclinatus ad ſenſibilia, per totam vitam, ſive per longum tempus, non cedat plus, quam oportet vanitatibus, voluptati, aut curioſitati. Nimiæ enim, & frequentes ſunt occa-

ſiones, & materiæ, quæ occurrunt. Fomes etiam peccati, & deordinatio appetitus, non ſolum eſt cauſa, vel occaſio, ut homo ex imperfecta deliberatione peccet; ſed etiam, ut ſtante perfecta deliberatione, frequenter trahatur a paſſione aliqua, & ut non ſemper, & in levibus rationi adhæreat. An vero ad hæc evitandum, requiratur ſpeciale privilegium; judico requiri: quia Scriptura, & Patres generaliter de omnibus venialibus loquuntur, ut ſupra dicebamus.

XXVIII. Quinto objiciunt contra ſecundam Aſſertionem. Nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt, ut ait Auguſt. *lib. 3. de Libero arb. cap. 18.* ſed homo non vitando omnia venialia peccat; ergo ea vitare poteſt.

Reſpondetur communiter, diſt. min. Non vitando omnia diviſive, & ſingulatim, conc. min., omnia collective; neg. min. & conſeq. Ut enim peccata imputentur, ſatis eſt, ut homini adſit auxilium, quo valeat, ſingula diviſive vitare: peccata enim non collective, ſed diviſive vitanda occurrunt. Ita S. Thom. hic q. 109. art. 8. *Non poteſt* (inquit) *homo abſtinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus ſenſualitatis; cujus motus ſingulos quidem ratio reprimere poteſt: & ex hoc habent rationem peccati, & voluntarii, non autem omnes.* Et ſuperius *quæſt. 74. art. 3. ad 2.* dixerat: *Talis corruptio fomitis non impedit, quin homo rationabili voluntate poſſit reprimere ſingulos motus inordinatos ſenſualitatis, ſi præſentiat; puta, divertendo cogitationem ad alia. Sed dum homo cogitationem ad aliud divertit, poteſt etiam circa illud aliquis inordinatus motus inſurgere; ſicut cum aliquis transfert cogitationem ſuam a delectationibus carnis, volens concupiſcentiæ motus vitare, ad ſpeculationem ſcientiæ; inſurgit quandoque aliquis motus inanis gloriæ impræmeditatus. Et ideo non poteſt homo vitare omnes hujuſmodi motus, propter corruptionem prædictam. Sed hoc ſolum ſufficit ad rationem peccati voluntarii, quod poſſit vitare ſingulos.* Idem docet in 3. *contra Gentes cap. 160.* Ratio autem eſt: quia homo tunc ſolum peccat, quando non reprimit motus inordinatos, quos reprimere poteſt: cum autem non poſſit reprimere totam collectionem motuum inordinatorum, ſtante corruptione fomitis; ſeu in poteſtate ejus non ſit, ſeparari a fomitis corrupti conjunctione, hinc fit, quod non peccat.

XXIX. Sed dices. Habetur præceptum de nunquam peccando venialiter; ergo habetur præceptum de vitanda tota collectione venialium; quia nunquam peccare, eſt idem, ac vitare totam collectionem peccatorum: ſed præceptum non datur de impoſſibili, Deus enim impoſſibilia non jubet; ergo eſt poſſibile vitare &c.

XXX. Reſpondeo, nego conſeq. Præceptum enim de nunquam venialiter peccando eſt de vitandis peccatis, pro ut hic, & nunc vitanda occurrunt: occurrunt autem vitanda, non collective, ſed diviſive. Unde ſufficit, ut omnia poſſit vitare diviſive; quod eſt, nullum de facto occurrere poſſe veniale, quod non poſſit vitare; aut quod ſic illud committat, quod poſſit non committere: quod bene ſtat cum impotentia ad omnia collective. Sicut impoſſibile eſt, quod non veniant ſcandala, & in collectione hominum potentia non eſt ad vitanda ſcandala: & tamen nullus datur homo, qui non poſſit ſcandalum vitare, & ſi non vitet, non peccet. Unde ait Chriſtus, Matth. 18. verſ. 7. *Neceſſe eſt enim, ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Ita in caſu. Et ſicut ut homo poſſit vitare ſcandala, requiritur quidem, ut poſſit vitare ſcandalum hic, & nunc ſibi occurrens; non autem ut poſſit vitare ſcandala præbenda ab aliis, & in collectione omnium occaſionum: ſic, ut quis poſſit vitare omnia venialia, requiritur quidem, ut poſſit vitare omne veniale in hac vel illa occaſione committendum; non tamen ut poſſit vitare in collectione omnium occaſionum: quia ſic neceſſe eſt, eſſe in natura corrupta peccata venialia, ſicut neceſſe eſt, in Mundo dari ſcandala.

XXXI. Replicabis. Iſte actus: *Nolo vitare omnia peccata venialia*, licitus non eſt; ergo poteſt, & tenetur &c. Si enim non poſſet, licite poſſet nolle: poſſum enim nolle facere, quod facere non poſſum.

Confirmatur. Qui ſemper facit quantum poteſt, nunquam peccat; ergo qui ſemper poteſt facere quantum poteſt, poteſt nunquam peccare: ſed quilibet homo, præſertim juſtus, ſemper poteſt facere quantum poteſt; ergo poteſt nunquam peccare ſine privilegio.

XXXII. Reſpondeo primo, neg. conſ. Nam iſte actus: *Nolo vitare omnia venialia collective*, includit etiam nolle vitare aliqua, imo & ſingula diviſive: non enim poſſunt non vitari omnia, quin non vitentur aliqua —— Secundo reſpondeo, neg. item conſ. quia non vitare omnia venialia, eſt objectum turpe, & ex ſe malum, ergo non licet deliberate illud velle. Nec refert, quod vitare illud non poſſit. Nam ſi ex ſe malum ſit; quamvis mihi neceſſarium, velle illud non poſſum: ſicut peccatum Antichriſti vitare non poſſum; & tamen mihi licitum non eſt, velle, quod Antichriſtus peccet.

XXXIII. Ad Confirm. nego ſubſumptum. Attenta enim hominis, etiam juſti, corruptione, inſtabilitate, & fragilitate, ac perpenſis ſimul quotidianis tentationibus, ac peccandi occaſionibus, moraliter loquendo, iſta duo non conſiſtunt: hominem eſſe in hoc ſtatu moralitatis, & ſemper facere totum, quod poteſt: ideoque in ſenſu compoſito præſentis corruptionis, verum non eſt, quod homo ſemper poſſit facere totum, quod poteſt; quamvis abſolute, & in ſenſu diviſo, ac ſimpliciter verum ſit.

XXXIV. Sed inſtabis. Si non poſſumus ab omni peccato abſtinere, nec poſſe a Deo ſperamus, cur ab eo petimus, eſſe ſine peccato: *Ut ad nullum declinemus peccatum?*

Reſpondeo, id rationabiliter nos a Deo petere, quia nullum prorſus eſt peccatum, quod cum Dei gratia vitare non poſſimus; & conformiter ſperemus a Deo gratiam, qua unumquodque vitare poſſimus: & licet gratiam non ſperemus, qua omnia collective vitare poſſimus, valet tamen hæc oratio. Tum quia: nunquam peccare, quia bonum, ſemper optandum eſt. Tum quia: oratio illa valet, ut rarius peccemus, & peccata quæ commiſimus, aut deleantur, aut minuantur: & ut tale deſiderium nunquam peccandi manuducat nos ad ſtatum Regni Cæleſtis, ubi nulla penitus peccata erunt.

XXXV. Sexto objici poteſt contra tertiam Aſſertionem Chryſoſtomus, qui *Homil. 20. in Joann.* ait, B. Virginem ex motu ambitionis dixiſſe Filio: *Vinum non habent.* Et Auguſtinus, qui *lib. Quæſt. Vet. & novi Teſt. q. 73.* ſuper illa verba Lucæ 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, dicit, eam habuiſſe dubitationem fidei in Paſſione Chriſti. Tandem B. Virgo potuit & ipſa dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*, & dixiſſe credenda eſt; ergo ab omni veniali nec ipſa fuit immunis.

XXXVI. Reſpondeo ad 1. ex D. Th. 3. p. qu. 27. art. 4. ad 3. *Quod in verbis illis Chryſoſtomus exceſſit. Poſſunt tamen exponi, ut intelligatur, in ea Dominum cohibuiſſe, non inordinatum inanis gloriæ motum quantum ad ipſam: ſed id, quod ab aliis poſſet æſtimari.*

Ad ſecundum dico cum eodem Sanct. Thom. citato ad 2. *Quod illud verbum Simeonis, Origenes homil. 17. in Lucam, & alii Doctores, exponunt de dolore, quem paſſa eſt in Chriſti Paſſione. Ambroſius autem in hunc locum, per gladium, dicit, ſignificari prudentiam Mariæ non ignaram myſterii Cæleſtis. Vivum eſt enim Verbum Dei, & validum, & acutius omni gladio acutiſſimo. Quidam vero per gladium dubitationem intelligunt. Quæ tamen non eſt intelligenda dubitatio infidelitatis, ſed admirationis, & diſcuſſionis. Dicit enim Baſilius in Epiſt. ad Optimum* (quæ eſt 317.) *Quod B. Virgo aſſiſtens Cruci, & aſpiciens ſingula, poſt teſtimonium Gabrielis, poſt ineffabilem divinæ conceptionis notitiam, poſt ingentem miraculorum oſtenſionem, animo fluctuabat: Ex una ſcilicet parte videns, eum pati abjecta, & ex alia parte conſiderans ejus mirifica.* Hæc S. Thom. Ad tertiam dico, quod B. Virgo potuit dicere, & de facto dixit: *Dimitte nobis debita noſtra*, orans totius Eccleſiæ nomine, aut cum communitate Fidelium, quamvis ipſa in ſe nullum debitum haberet.

D U B I U M XI.

De Neceſſitate Gratiæ ad ſe præparandum ad Gratiam.

§. I.

Errores, & Opiniones.

I. DUo fuerunt circa hoc ſuperius recenſiti extremi errores. Primus eſt Lutheri, & ſuorum, qui cum aſſerant, omnia opera hominis, ante juſtificationem facta, eſſe peccata; conſequenter dicunt, hominem, etſi a gratia excitetur, nihil agere poſſe, quo ſe ad juſtificationem præparet, ac diſponat. Utrumque hunc errorem confixit Tridentinum *Seſſion. 6.* Priorem quidem *Canon. 7* his verbis: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione fiant, vere eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: anathema ſit.* Contra quem errorem ſupra pugnavimus *Dub. 4. §. 3.* & contra Bajum, & Janſenium §. 4. *&* 5. Poſteriorem vero Can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendum juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet ... anathema ſit.*

II. Secundus error fuit Pelagii, & Pelagianorum dicentium, homines per naturales vires liberi arbitrii, abſque ullo gratiæ interioris auxilio, ad gratiam ſe præparare poſſe: cui Semipelagiani præcipue ſubſcripſerunt, volentes, initium juſtificationis eſſe ex nobis, & gratiam ſecundum merita noſtra dari. Contra hos ſtant plures Conciliorum definitiones, & præcipue Arauſicani II. *Can. 4.* ubi ſtatuitur: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit; non autem, ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit Spiritui Sancto dicenti.* Præparatur voluntas a Domino: & Tridentini *Seſſ. 6. Can. 1. 2. & 3.* Pelagii perſonam, & errores deſcripſimus, ac eos impugnavimus *Tom. 1. in 1. p. q. 3. de Cauſis Prædeſtinationis Dub. 1.* per totum. Unde ne inutiliter repetantur, quæ ibi diximus, illuc Lectorem remitto.

III. Porro S. Thomas, & cum eo Catholici omnes media via inter iſtos duos errores incedentes, ajunt, hominem quidem ſe ad gratiam præparare; non tamen per ſeipſum, ac ſuas vires, ſed auxilio gratiæ moventis. Ita Angelicus Doctor hac *q. 109. art. 6.* dicens: *Duplex eſt præparatio ad bonum. Una quidem, qua præparatur ad bene operandum, & ad Deo fruendum. Et talis præparatio voluntatis non poteſt fieri ſine habituali gratiæ dono, quod ſit principium operis meritorii. Alio modo poteſt intelligi præparatio voluntatis ad conſequendum ipſum gratiæ habitualis donum. Ad hoc autem, quod ſe præparet homo ad ſuſceptionem hujus doni, non oportet præſupponere aliud donum habituale in anima, quia ſic procederetur in infinitum: ſed oportet præſupponere aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis, ſive inſpirantis bonum propoſitum.*

IV. Neque oppoſitum docuit in 2. *diſt. 28. q. 1. art. 4.* ubi ait: *Quod ad gratiam gratum facientem habendam, ex ſolo libero arbitrio ſe homo poteſt præparare.* Nam illud *ex ſolo*, non ex-

cludit